



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In Qua Tractatur De Impedimentis Matrimonii, Usu Et Divortio

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1685**

Sectio V. De impedimento cognationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73448)



# SECTIO V.

DE

## IMPEDIMENTO COGNATIONIS.

1. Quid cognatio. & qui cognati.



Cognatio sic appellatur, quasi simul natio ab eodem stipite; unde cognati, quasi simul ab eodẽ nati dicuntur. Cognati (inquit Iuriscultus l. 4. ff. de Gradibus) ab eo dici putantur, quod quasi unã communiter nati, vel

ab eodem orti progenitiue sint.

Numeratur inter impedimenta dirimentia, & sic considerata, nihil aliud est, quã conjunctio quãdam inter certas personas, ob quam non admittitur inter eas Matrimonium. Triplex autem solet distingui, naturalis, spiritualis, & legalis. Naturalis conjunctio oritur ex naturali propagatione ac generatione, quã proinde dicitur etiam carnalis, dicitur conjunctio sanguinis, & proprio nomine vocatur consanguinitas.

Triplex est cognatio. Quid naturalis.

2. Quid spiritualis & legalis.

Ad hujus porro imitationem, & similitudinem quamdam, nominatur & additur cognatio spiritualis, quã est conjunctio quãdam in spirituali generatione per Sacramentum. Tertia denique est cognatio legalis, quã est conjunctio quãdam per institutionem legis, quã quis adoptat sibi alium in hæredem loco filij; ac proinde per legem reputatur, ac si nativitas esset.

De hac triplici cognatione seu conjunctione distinctè jam agendum est, & primum quidem de cognatione naturali seu consanguinitate, pro qua, Dico primo.

### CONCLUSIO I.

Cognatio naturalis dirimit Matrimonium jure naturæ in quocumque gradu lineæ rectæ.

3. Descriptio nes quorundam nominum, consanguinitas, si per lineam gradus, ex Scoto.

**D**Octor Subtilis 4. dist. 40. q. unica: Vtrum cognatio carnalis impediãt Matrimonium? n. 2. sic ait: Hic præmittenda sunt quedam descriptiones quorundam nominum, & quedam regula, & secundò est solvenda questio. De primo fit hæc prima descriptio. Consanguinitas est vinculum personarum, ab eadem persona carnali propagatione descendentium. Secunda, persona à qua plures carnali propagatione descendunt, stipes vocatur. Tertia, linea consanguinitatis est ordo personarum, consanguinitate junctarum.

Quarta, hæc linea dividitur in ascendentem & descendentem, & transversalem. Linea descendens est à persona propagante ad propagatas, & ascendens à propagata ad illas, à quibus descendit. Transversalis est, quando amba persona descendunt ab eadem, sed neutra ab altera. Quinta, gradus est determinata pro-

Bosco de Matrim. Pars II.

pinquitas personæ ad personam secundum consanguinitatem: gradus enim propriè invenitur in linea ascendente & descendente: impropiè autem in linea transversali.

Hæ sunt descriptiones nominum, ut eas vocat Scotus, non autem definitiones essentielles; & quãmvìs communes sint, equidem patiuntur aliquas oblocutiones, præfertim prima, quæ est consanguinitatis.

Hæc definitio (inquit Aversa hie q. 16. sect. 1. §. Definiri solet) ex una parte videtur diminuta: quia specialiter adaptatur conjunctioni per lineam lateralem, utpotè inter fratres, & non per lineam rectam, ut inter patrem & filium. Et quãmvìs excepto Adamo & filiis ejus, omnes alij rectè dicantur ab eodem stipite descendere, tamen: & ipse Adamus erat consanguineus cum filiis suis: & Abraham v. g. non solum erat consanguineus cum Isaac, quia ambo descendebant ex uno superiori stipite; sed præcipuè, quia ex ipso Abrahamo descendebat Isaac. Et omninò consanguinitas in communi sub se continet non solum conjunctionem per lineam lateralem, sed etiam, imò præcipuè, per lineam rectam.

Ex alia parte videtur definitio nimis ampla: quia in linea laterali extenditur in infinitum; & post quacumque generationes valebit dicere, omnes homines esse consanguineos; quia certè omnes ab eodem stipite descendunt. Et quãmvìs D. Thomas in 4. dist. 40. q. 1. a. 1. ad 1. hoc limitet quoadusque virtus generantis duret ac diffundatur: tamen neque in definitione hæc limitatio indicatur, neque ullã naturali regulã præfiniri potest, quamdiu illa virtus diffundatur. Itaque satius videtur dicere: Consanguinitas est conjunctio personarum per naturalem generationem usque ad certum gradum. Ita Aversa.

Sed hæc parvi sunt momenti, ut propterea recedere debeamus à communi descriptione nominis Consanguinitatis. Siquidem ad primum benè respondet Sanchez lib. 7. disp. 5. n. 1. Quãmvìs ad rationem consanguinitatis satis sit, unum ab altero descendere, licet à nullo communi stipite procreentur: ac ob eam rationem vera consanguinitas salvetur inter Adamum & Cain: non fuit tamen opus eam partem in definitione addere, quod res illa singularis sit: in omnibus enim aliis præter primos parentes, & ejus filios, reperitur eos à communi stipite procedere: ut pater & filius procedunt ab avo, avus & nepos à proavo. Hæc ille.

Unde hæc definitio seu descriptio non magis specialiter adaptatur conjunctioni per lineam lateralem, utpotè inter fratres, quã per lineam rectam.

4. Objectio contra deã descriptionem consanguinitatis, ex Aversa. Prima.

5. Secunda.

6. Resp. Sanchez ad 1.



etiam, ut inter patrem & filium; conjunctioni, inquam, quæ hodie existit, & de qua quaeritur, an sit impedimentum dirimens; quippè tam pater & filius, quàm fratres hoc tempore ab eodem stipite descendunt.

7.  
Quomodo  
Adam &  
filij ejus  
procefferint  
ab eodem  
stipite.

Adde: etiam Adamum cum filiis suis, ab eodem stipite descendisse, ab eodem, dico, negativè, id est, non diverso. Et dici potest Abrahamum fuisse consanguineum cum Isaac, non magis, quia ex ipso Abrahamo descendebat Isaac, quàm quia ambo descendebant ex uno superiori stipite per lineam rectam: quippè non poterant descendere ex uno superiori stipite per lineam rectam, nisi unus ab altero descenderet.

Fateor itaque consanguinitatem in communi sub se continere non solum conjunctionem per lineam lateralem, sed etiam, imò præcipuè, per lineam rectam: sed iterum nego, hanc definitionem specialiter adaptari conjunctioni per lineam lateralem, & non per lineam rectam; quoniam non minus pater, & filius descendunt ab eodem stipite, quàm duo fratres, imò magis, quia pater & filius descendunt per lineam rectam, duo verò fratres solum per lineam transversalem.

8.  
Descriptio  
Scoti non est  
diminuta.

Igitur hæc definitio seu descriptio non est diminuta, tamen fati sit ad veram consanguinitatem, quòd unus ab altero descendat, licet à nullo communi stipite proceantur; quia de facto talis consanguinitas non datur, & idè pro ea hæc descriptio non est inventa, nisi, sicut antè dixi, ly Eodem, accipiamus negativè, ut idem sit quòd, non diverso.

Sed nunquid hæc descriptio est nimis ampla? Affirmat Averfa sup. ut audivimus; quia sic omnes homines essent consanguinei; quia descendunt ab eodem stipite, scilicet Adamo.

9.  
Ostenditur  
ex D. Thoma,  
quòd  
etiam non  
sit nimis  
ampla.

Ad hoc respondet Doct. Ang. 4. dist. 40. q. 1. a. 1. ad primum: Quòd virtus activa non recipitur secundum eandem perfectionem in instrumento, secundum quam est in principali agente, & quia movens motum est instrumentum, inde est quòd virtus primi motoris in aliquo genere per multa media deducta, tandem deficit, & pervenitur ad aliquid, quòd est motum tantum, & non movens. Virtus autem generationis movet non solum quantum ad id, quòd est speciei; sed etiam quantum ad id, quòd est individuali, ratione cujus filius assimilatur patri etiam in accidentalibus, non solum in natura speciei: nec tamen individualis virtus patris ita perfectè in filio est, sicut in patre erat, & adhuc in nepote minus, & sic deinceps debilitatur; & inde est, quòd virtus illa quandoque deficit, ut ultra procedere non possit. Et quia consanguinitas est, in quantum multi communicant in tali virtute, ex uno in multos per propagationem deducta paulatim se consanguinitas dirimit, ut Isid. dicit; & idè non oportet accipere stipitem, remotum in diffinitione consanguinitatis, sed propinquum, cujus virtus adhuc manet in illis, qui ex eo propagantur.

Perez.

Adde (inquit Perez hic disp. 28. sect. 1. n. 3.) prædictam definitionem non dicere, esse cognationem vel consanguinitatem inter omnes descendentes ab eodem stipite, sed inter eos solos,

inter quos hoc vinculum oritur seu communicatio sanguinis, quòd non contingit omnibus, ut est per se notum. Hæc ille.

Sed loquatur Caramuel Theol. moral. lib. 2. n. 537. Si (inquit) rem altè indagemus, gradus consanguinitatis physicae omni termino carènt; unde Petrum & Joannem triginta gradibus distare asserimus, aut aliàs quadraginta: moralem autem consanguinitatem terminos habere opus est, quia aliàs omnes essemus consanguinei, quòd bono publico non expediret.

Termini consanguinitatis moralis necessariò poniendi sunt; sed in quo gradu? Debet id prudentia decernere; sed non esset talis, si careret fundamentis, quibus inniteretur.

Et n. 538. sic ait idem Auctor: Dicitur consanguinitas, quasi communis sanguinis unitas; imò qui ab eodem progenitore nati sunt, Cognati nominantur... Distrahendo igitur à consanguinitate physica, moralis debet dividi in carnalem, spiritualem, & legalem. Cognatio legalis, lege civili est instituta; Spirituales Ecclesiastica; Carnalis pendet ab ipsa rei natura, ut prudenter cognita; in hoc enim à physica distinguitur, quòd physica sit consanguinitas secundum se, prout præcedit humanam opinionem; moralis est ipsa consanguinitas, prout subest dictamini prudenti, proscriptenti gradus aliquos remotos, boni publici causà. Ita Caramuel.

Facile ergò admitteret hic Auctor consanguinitatem physicam inter omnes posteros Adæ, eò quòd descendant carnali propagatione ab eodem stipite, sed moralem negaret; & reverà neganda est, quia habet gradum determinatum, saltem in linea transversali, ut patebit ex dicendis.

Igitur definitio sup. data non est nimis ampla, si definitum ponatur consanguinitas ut sic; quippè omnes homines sunt physicè consanguinei, quia participant eandem materiam specificam ab eodem primo parente; & idè omnes dicuntur filij Adæ, & in ipso omnes peccaverunt originaliter; & si Adam adhuc viveret, non posset ducere aliquam uxorem, ut cum Scoto infra dicitur. Si ergò consanguinitas in linea recta caret termino, & quasi in infinitum extenditur; cur non idem dici posset de consanguinitate in linea transversali? Non video quid obstet, physicè rem considerandò.

Interim propter bonum commune tam Resp. civilis, quàm Ecclesiastica certum terminum posuit, ultra quem non extenditur hæc consanguinitas. Porò consanguinitati in linea recta, nec jus civile nec jus Canonicum legitur certum terminum constituisse, ultra quem nequeat extendi. Sed de his statim latius.

Hinc non valet in principiis Scoti hæc definitio consanguinitatis, sup. ab Averfa posita: quoadam de Consanguinitas est conjunctio personarum per naturalem generationem usque ad certum gradum; quia diminuta est, utpotè specialiter adaptata conjunctioni per lineam lateralem, prout subest dictamini prudenti.

Melior

10.  
Distinctio  
consanguinitatis in  
physicam &  
moralem, ex  
Caramuele.

Moralis ha-  
bet determi-  
natum ter-  
minum.

In quo di-  
stinguatur  
à physica.

11.  
Consanguini-  
tas physica  
est inter om-  
nes posteros  
Adæ.

12.  
Consanguini-  
tas mora-  
lis in linea  
transversali  
habet termi-  
num.

Rejicitur  
quoadam de  
finitio con-  
sanguinita-  
tis.  
Averfa.



13. Melior est ista Dicastillonis hic disp. 7. n. 183. *Consanguinitas est propinquitas diversarum personarum, per carnalem propagationem proveniens, ita ut ex eadem descendant, vel una ex altera.* Ubi additur ultima illa particula: *Vel una ex altera*, ut tantò expressius comprehendatur consanguinitas inter Adamum & Cain; quòd tamen non fuit necessarium, ut patet ex communi definitione, quæ non solum est Doctoris Subtilis, sed etiam Doctoris Angelici, & Doct. Seraphici, scilicet: *Vinculum personarum* &c.

14. Dicitur: *Vinculum* (inquit Sanchez sup. n. 1.) quòd consanguinei majori affectu & necessitudine inter se conjungantur: & sic consanguinitas est formaliter ipsa conjunctio in communicatione ejusdem sanguinis fundata. Neminem enim later, speciali quodam vinculo colligari sanguine conjunctos. Quod non obscure significavit Cicero lib. 1. de Officiis, dicens, sanguinis conjunctio & benevolentia devinciri charitate homines. At omne vinculum inter homines est vinculum amicitiae, fundatum in aliqua communicatione, ex Arist. 8. Ethic. c. 12. Quare cum vinculum consanguinitatis fundetur in naturali ejusdem sanguinis communicatione, qui eo inter se connectuntur, dicuntur consanguinei. Hæc ille.

15. Igitur consanguinitas non est formaliter vinculum, sed potius effectivè; quia conjunctio in communicatione ejusdem sanguinis, sive quod idem est, communicatio ejusdem sanguinis per carnalem propagationem, est causa vinculi, id est, juris amicitiae, quod fundatur in illa communicatione.

Dico: Per carnalem propagationem; quia Eva minimè fuit Adamo consanguinea, ex cuius osse formata est; Christus autem Dominus omninò consanguineus fuit Beatissimæ Virgini Matri suæ; quippè quæ administravit conceptioni Christi totum illud materia, quod veræ matres naturales administrant.

16. Et propter eandem rationem inter Angelos non est verè consanguinitas; quamvis enim ab eodem Deo immediatè processerint, at non per carnalem propagationem, ut planum est.

Sed neque inter bruta animantia, licet procedant ab invicem, vel ab eodem stipite; tum, quia quidquid est de humanæ naturæ veritate in omnibus hominibus, fuit in primò parente, quod non est de aliis animalibus; tum, quia animalia non conjunguntur ad amicitiae unitatem propter propagationem multorum ex uno parente, sicut est de hominibus. Et ideò in descriptione Consanguinitatis ponitur ly *Personarum*.

17. Sequitur: *Ab eadem persona*, id est, ab eodem stipite; nam ut Scotus sup. & eum eo universi Doctores, Persona, à qua plures carnali propagatione descendant, stipes vocatur. Qui vel est proximus seu propinquus, vel remotus. Sanchez sup. intelligit de stipite ita propinquo, ut virtus ejus in descendantibus perseveret.

Quamvis enim (inquit) virtus primi parentis Adami perseveret in omnibus descendantibus secundum similitudinem specificam; at non

Bosco de Marrim. Pars II.

perseverat secundum similitudinem individuum, An consanguinitatis ratio possit deficere. juxta quam avus & parentes assimilant sibi prolem, quæ eorum imaginem complexionisque ac morum effigiem refert. Nam virtus paterna non secundum totam suam perfectionem descendit in filium, sed imperfectius, & eo debiliior ac imperfectior est, quòd in plures generationes derivatur, ac tandem in tot protendi potest, ut omninò debilitetur, & sic consanguinitatis ratio deficiat: ut Auctor est D. Isidorus lib. 9. Etymolog. c. 6. & refertur cap. Consanguinitas, 35. q. 4. Hæc ille ex D. Tho. sup. allegato.

18. Describo ego verba S. Isidori: *Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens, usque ad ultimum gradum subtraxerit, & propinquitas esse deserit, cum rursus lex Matrimonij vinculo repetit, & quodammodo revocat fugientem.* Ideò autem usque ad sextum generationis gradum consanguinitas constituta est, ut sicut sex aetatibus mundi generatio & status hominis finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur. Manifestum autem est ex toto contextu d. cap. 6. Isidorum ibi locutum fuisse de solis gradibus consanguinitatis in linea transversali.

Hinc ex eodem Isidoro 35. q. 5. c. 1. hæc verba referuntur: *Series consanguinitatis sex gradibus hoc modo dirimitur: Filius & filia, quod est frater & soror, sit ipse truncus: illis seorsim sejunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi, nepos, neptis, primus; pronepos, proneptis, secundus: abnepos, abneptis, tertius: atnepos, atneptis, quartus: trinepos, trineptis, quintus: trinepotis filius, & trinepotis filia, sextus: Quis non videt, hos esse gradus lineæ lateralis.*

19. Demus ergò in gradibus hujus lineæ tandem consanguinitatis rationem deficere, saltem in morali æstimatione hominum, & prout subest prudenti æstimationi: equidem in linea recta, dicimus cum Scoto, nunquam deficere: *De secundo* (inquit Doctor sup. n. 4.) *dico, quòd in omni lege aliqua propinquitas impeditur. In lege naturæ illa sola, ut dictum est, in primo gradu in linea descendente ex illo verbo Adæ: Relinquet homo patrem & matrem, quantum ad copulam conjugalem, & non intelligitur tantum de patre proximo, sed de quocumque in linea recta, ita quòd si Adam hodie viveret, non posset ducere aliquam uxorem.* In quibus verbis continetur nostra Conclusio, de qua statim plura.

20. Præmittamus pauca pro clariori notitia lineæ & gradus. Linea consanguinitatis, ut sup. audivimus ex Scoto, est ordo personarum consanguinitate junctarum. Vel, ut Sanchez sup. n. 2. est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendentium, diversos continens gradus, seu potius ipsamet personæ consanguineæ collectivè sumptæ. Ut acervus lapidum dicuntur ipsimet lapides in unum coacti. Duciturque similitudo à linea Mathematica, in qua plura ordinatim continentur puncta. Hæc ille.

21. Porro gradus secundum Scotum sup. est determinata propinquitas personæ ad personam secundum consanguinitatem. Vel, ut Sanchez sup.

Videtur quòd sic ex D. Isidoro.

Loquitur de gradibus transversalibus.

In linea recta non minus quam deficit juxta Scotum.

20. Quid sit linea consanguinitatis, Scotus. Sanchez?

21. Quid sit gradus, ex sup.



Scoto & Sanchez.

sup. est habitudo seu mensura distantium personarum, quâ cognoscitur, quotâ consanguinitatis distantia aliqui consanguinei jungantur. Et sunt gradus ad similitudinem graduum scalarum, per quos à proximo in proximum tendimus, fursum ascensuri, aut deorsum descensuri, l. Jurisconsultus, ff. de Gradibus, vers. 10. Gradus autem dicitur à similitudine scalarum locorum, proclivium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transivimus.

22. Linea consanguinitatis est triplex, ascendens, descendens, & transversa.

Rursus (inquit Sanchez) linea consanguinitatis est triplex, quædam ascendens, in qua continentur personæ, à quibus origo deducitur, ut pater, avus, proavus, atavus: alia descendens, quæ claudit personas originem ab eo stipite trahentes, ut filios, nepotes, pronepotes, trinepotes: & hæc duplex linea est, re ipsa eadem; nam eodem gradu ascenditur & descenditur in scala: distinguitur autem ratione. Quia quatenus per illam ascenditur ad stipitem, dicitur ascendens: quatenus autem descenditur ad sobolem, à stipite procedentem, dicitur descendens. Et hæc appellatur linea recta: quod contineat directos gradus, per quos ad progenitores ascenditur, & ad progenitos descenditur, & ad neutrum latus deflectitur.

Et linea transversa.

Tandem est alia linea collateralis seu transversa, in qua continentur personæ, quæ ex latere, & ex transverso junctæ sunt, à quibus nos non ducimus originem, nec ipsæ à nobis, & tamen ab eodem stipite & sanguine descendimus; ut fratres & eorum filij, patruus, amita.

23. Hæc est duplex, æqualis, & inæqualis.

Hæc autem transversa linea est duplex, quædam æqualis; nimirum, in qua continentur gradus consanguineorum, æquæ à stipite distantium, ut sunt duo fratres, aut duorum fratrum filij. Alia verò inæqualis, nempe, quando consanguinei transversi seu collaterales distant inæqualiter à communi stipite, in quo uniuntur, ut contingit in patruo & amita, respectu consobri- ni; distat enim consobrinus ab illis in secundo gradu dispari. Quod patruus & amita distent à communi stipite, nempe ab avo consobri- ni, in quo proximè uniuntur in solo primo gradu, ut- pote qui ejus filij sunt. At consobrinus distat ab avo in secundo gradu tamquam ejus nepos. Tandem dividi solet linea in paternam, cujus scilicet est caput mater, & in maternam, cujus caput est pater. Huc usque Sanchez.

Alia divi- sio in lineam paternam & maternam.

24. Sanchez non dissentit à Scoto.

Qui utique à Scoto nullatenus in re dissentit, sed tantum in vocibus, nisi quod Scotus expressè non meminerit duplicis lineæ transversæ seu transversalis, neque ultimæ divisionis lineæ in maternam & paternam. Nec mirum, quia hæc divisio minimè deservit Matrimonio, ut Sanchez ibi fatetur. Alteram autem divisionem satis insinuat in Regulis, quas ibidem immediatè subjungit.

Prima regula consanguinitatis, ex Scoto.

Prima (inquit) regula hæc est: In linea recta tot sunt gradus, quot sunt personæ, unâ minus. Hoc probatur; quia tot gradus, quot propagationes, cum gradus sit habitudo vel propinquitas inter personam & personam: sunt autem personæ unâ plures, quam

propagationes: quia præsupponitur toti collectioni aliqua ibi non propagata.

Atque hæc regula est communiter ab omnibus recepta, ad dignoscendum, quoto gradu una persona distet ab altera in linea recta, quam Sanchez sup. n. 4. diffusius explicat hisce verbis: Quando persona, cujus gradus quæritur, est in linea recta ascendentium vel descendentium cum alia, si inter ipsam & alteram personam nulla persona mediet, sunt illæ in primo consanguinitatis gradu lineæ rectæ; ut sunt parentes & filij. Si verò inter ipsas aliqua persona aut multiplex mediet, tunc numeratis omnibus personis mediis & extremis, dematur de numero illo una persona, & quot personæ restant, tot sunt gradus: v. g. nepos distat ab avo in secundo gradu lineæ rectæ: quia sunt duæ personæ extremæ, nimirum nepos & avus, & ita media inter ipsas, nempe pater nepotis, & ita dempta una manent duæ, & sic duo gradus. Et proavus distat à pronepote in tertio gradu. Quia sunt duæ personæ extremæ, nempe abavus & pronepos, & duæ mediant, nempe pater & avus pronepotis, sublata ergo unâ ex his quatuor, manent tres, & subinde distant in tribus gradibus.

25. Est communiter recepta, & magis explicatur, ex Sanchez.

Ratio autem hujus regulæ est; quia pater secundum se non constituit gradum, sed in ordine ad illum, qui ab ipso descendit: ergo pater cum filio ab ipso descendenti constituit primum gradum; & præterea ipse filius cum altero filio, qui ab ipso procedit, constituit alterum gradum. Jam igitur inter has tres personas, videlicet avum, patrem & nepotem, dantur duo tantum gradus. Et consequenter tot sunt in hac linea computandi gradus, quot sunt personæ ab invicem procedentes, unâ dempta. Ita Sanchez.

26. Ratio regulae.

Et prosequitur dicens: Unde dum D. Isidorus, relatus cap. Primo gradu, 35. q. 5. ait, in primo gradu superioris lineæ contineri patrem & matrem, & in primo inferioris filios, non sentit solos parentes constituere unum gradum, & filios alium, ac proinde distare inter se in secundo gradu, quod est contra priorem regulæ traditæ partem, & contra veritatem ipsam: sed mens ejus est, parentes constituere extremum superius primi gradus, filios autem inferioris ejusdem gradus: hic enim ex duobus extremis constare debet.

27. Explicatur D. Isid. qui posset videri contrarius hinc regulæ.

Et satis probatur ex l. 1. ff. de Gradibus, quæ sic incipit: Gradus cognationis alij superioris ordinis sunt, alij inferioris, alij ex transverso, sive à latere. Superioris ordinis sunt parentes, inferioris liberi, ex transverso sive à latere fratres & sorores liberorum, eorum. Et infra: Primo gradu sunt supra pater, mater, infra filius, filia. Atque hæc de prima regula pro linea recta.

Explicatio sumitur ex l. 1. ff. de Gradibus.

Sequitur secunda pro linea transversali. In transversali (inquit Scotus sup. n. 3.) computantur gradus secundum magis remotum à stipite extra de Consang. Vir, qui à stipite quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere distat quinto, secundum regulam approbatam, quâ dicitur: Quoto gradu

28. Secunda regula, ex Scoto.



gradu remotior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendendum ex eodem, licite possunt matrimonialiter copulari.

*Ejus ratio.* Et ratio hujus est; quia personæ, quæ sunt in linea transversali, non habent inter se propinquitatem, nisi ratione stipitis; & ideo non possunt inter se propinquius conjungi, quam remotior eorum conjungatur stipiti. Ita Doct. Subtilis & alij communiter.

29. *Notabilis Gloss. in c. fin. de Con- san.* Audiatur Gloss. d. cap. fin. *Vir qui à stipite,* verb. *Remotior: Si vis,* inquit, scire, in quo gradu aliqua personæ diversarum linearum sibi attinent, recurrit ad communem stipitem sive parentem, à quo descenderunt, & descende equaliter computando per ambas lineas, quousque altera illarum primo occurrat: & si amba simul occurrant, erunt in eodem gradu primo, secundo, tertio, vel quarto: & ista persona, quæ equaliter descendunt, non dicuntur distare à gradu, sed potius sunt in gradu equali descendente à communi stipite equaliter, & si sunt infra quartum gradum, non possunt matrimonialiter conjungi. Sed si una primo occurrit, quam altera, descendente per lineam alterius usque ad illam, & semper post illum gradum, in quo occurrit prima persona, additur gradus pro numero personarum: & sic habebis, quoto gradu una distat ab altera: & ista personæ non dicuntur esse in gradu, sed distant gradu, sicut ista persona, de quibus hic dicitur, cum una distet quarto gradu, & alia quinto à communi parente, quod planum est videre: & quoto gradu remotior persona distat à communi parente, toto distat à quolibet alio descendente per aliam lineam.

30. *Exemplificatur.* Verbi gratia: Communis parens islerum fuit Petrus, ejus filij fuerunt Martinus & Berta, qui sunt in primo gradu: de Martino descendit Ioannes: de Berta ex alia parte natus fuit Robertus, qui Ioannes & Robertus sunt in secundo gradu equaliter descendentes à Petro: de Ioanne natus est Stephanus: de Roberto est Albertus natus, qui sunt in tertio gradu & equaliter descendunt à Petro tertio gradu: scilicet de Stephano natus est vir iste, de quo hic queritur: de Alberto natus est Titius, qui est in quarto gradu cum viro isto equaliter distantes à Petro. Primo loco occurrit tibi vir iste, qui quarto gradu distat à Petro, & sic est ultima persona in consanguinitate Petri ex una linea, & Titius ex alia linea: de Titio nata est hac mulier, de qua hic queritur, & distat quinto gradu à Petro, & sic exiit jam consanguinitatem Petri: ergo eodem gradu distat à quolibet alio descendente per aliam lineam, & sic distat quinto gradu à Martino, Ioanne, Stephano, & ab isto viro, videlicet filio Stephani: ideoq; recte potest illum habere in virum & quemlibet descendente à Petro per aliam lineam posset accipere, cum omnes illæ personæ huic sint in quinto gradu. Hactenus Glossa. Quam totam referre volui, quia solemnis est, & ab omnibus recepta.

31. *Qui distant inæqualiter à communi stipite, eo gradu distant in primo gradu, est enim ejus filius;*

hic verò distat in secundo, utpotè qui est ejus nepos: distabunt igitur inter se in secundo consanguinitatis gradu. Alioquin, si penes distantiam propinquioris computatio foret faciendæ, minimè possent gradus commodè distingui. Nam (inquit Sanchez sup. n. 6.) quando alter esset in primo gradu cum stipite, alter verò in quarto, essent conjuncti inter se in primo gradu, atque ita æquè ac fratres. Quare graduum consilio non immodica inde confurgeret. Hæc ille.

Sed quæro ego; quid si personæ, quarum gradus quærentur, sint in linea transversa æquali? respondet Sanchez sup. n. 5. (& erit regula tertia, quam Scotus omisit tamquam satis notam) eodem gradu distant inter se, quo distant à communi utriusque stipite proximo: ut duo fratres distant inter se in primo gradu, quia in eo distant à proximo stipite, in quo conjunguntur, qui est parens: Filij duorum fratrum sunt consanguinei in secundo gradu, quia in eodem conjunguntur in communi utriusque stipite proximo, qui est avus.

Ratio autem est; quia cum tota & adæquata conjunctionis horum ratio sit unio cum stipite, jure optimo computantur gradus penes distantiam ab illo: nec magis aut minus possunt inter se distare, quam à stipite. Et ita regula hæc traditur cap. *Ad sedem*, quod est Alex. 2. & cap. *Parentela*, quod est Zachariæ Pontificis, 35. q. 5. *Parentela gradus taliter computamus: siquidem ego & frater meus una generatio sumus, primumq; gradum efficitur, nulloq; gradu distamus. Rursus filius meus, fratrisq; mei filius secunda generatio sunt, ac gradum secundum faciunt, nec à se aliquo gradu separantur. Atque ad hunc modum ceteræ successiones numeranda sunt.*

Quòd si objicias (inquit Sanchez sup.) filium conjunctiorem esse parentibus, quam fratri: ergo ineptè in eodem gradu computantur. Dic, conjunctiorem esse parentibus intensivè perfectione propinquitatis: perfectior enim est propinquitatis filij ad parentes, cum sit effectus ad causam: quam fratris ad fratrem, cum sit propinquitatis effectuum, ab eadem causa promanantium. Non autem est propinquior parentibus extensivè. Hæc enim propinquitatis extensiva solum attenditur penes distantiam ab eodem stipite: at non magis distant fratres inter se, quam à parentibus. Sic ille.

Observandum tamen est, in hac graduum computatione in linea recta concordare jus Canonicum cum civili; ac proinde primam regulam juris utriusque computationi deservire: at dissidere in computatione graduum in linea transversa: jus enim Canonicum eos computat, modo tradito in duabus posterioribus regulis; at jus Civile longè aliter computat.

Auscultate d. cap. 2. 35. q. 5. *Ad sedem Apostolicam perlata est questio, noviter exorta de gradibus consanguinitatis, quam quidam Legum & Canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros Canones & Ecclesiasticum morem numerare nituntur, novo & inaudito errore affirmans*

*stant inter se, quo remotior.*

Sanchez.

32. *Tercia regula consanguinitatis ex Sanchez.*

Ratio ejus.

33. *Occurritur objectioni.*

34. *Aliter jus civile computat gradus in linea transversa, aliter jus Canonicum.*

Ex c. 2. 35. q. 5.



mantes, quod germani fratres vel sorores inter se sint in secunda generatione, filij eorum vel filia in quarta, nepotes vel neptes eorum in sexta. Taliq; modo progeniem computantes, & in hujusmodi sexto eam gradu terminantes, dicunt deinceps viros ac mulieres inter se posse nuptialia jura contrahere. Et ad hujusmodi profanum errorem confirmandum in argumentum assumunt saculares leges, quas Iustinianus Imperator promulgavit de successione consanguineorum. Quibus confisi ostendere moluntur, fratres in secundo gradu esse numeratos, filios eorum in quarto, nepotes in sexto. Sic seriem genealogia terminantes, numerationem sanctorum Patrum, & antiquam Ecclesia computationem, ad nos usque productam, perversa quadam calliditate disturbare nituntur. Ita Alex. 2.

35.  
Quaeritur  
numerus jus  
civile,

Igitur jus civile non numerat gradum, in quo altera persona distat à stirpe, ut facit jus Canonicum; sed numerat gradus omnes utriusque personae, & tot constituit gradus distantiae inter illas, quot habent distantiae à stirpe, numeratis utriusque personae gradibus, v. g. duo fratres distant à communi parente in primo gradu, numerat jus civile gradum primum, quo uterque distat à parente, tamquam duplicem, alterum in uno fratre, & alterum in altero: & ita jure civili distant inter se in secundo gradu. Similiter filij duorum fratrum distant in quarto gradu, quia quilibet distat à stirpe in secundo gradu. Patruus & consobrinus distant in tertio gradu. Quia ille distat à stirpe in primo, hic autem in secundo, ac subinde triplex constituitur gradus.

36.  
Regula pro  
computatione  
juri civili.

Quare breviter pro computatione graduum in linea transversa, attento jure civili, haec fit regula: Si linea est aequalis, quot gradu quis distat à communi stirpe, toto duplicato distat inter se: si verò linea sit inaequalis, quot sunt personae, computatis extremis & mediis, stirpe dempto, tot sunt gradus: ut duo fratres jure Canonico distant inter se in linea aequali in primo gradu; jure civili distant in duplici gradu. Patruus & filius ex fratre distant in tertio gradu; quia sunt duae personae extremae, & una mediat inter communem stirpem, nempe avum, videlicet pater illius consobrini. Hucusque Sanchez sup. n. 7.

37.  
Qua ratio  
hujus diver-  
sitas.

Rogas: quare ratio hujus diversitatis? Consultule d. Cap. Ad Sedem Apostolicam, & dicit tibi Alex. 2. Nos, Deo annuente, hanc questionem discutere curavimus in Synodo, habita in Lateranensi consistorio, convocatis ad hoc opus Episcopis & Clericis, atque iudicibus diversarum provinciarum. Denique diu ventilatis legibus, & sacris Canonibus, distinctè invenimus ob aliam atque aliam causam, alteram Legum fieri, alteram Canonum computationem.

Leges civiles  
attendendum  
hereditates  
Canonibus au-  
tem nuptias.

In legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hereditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In Canonibus verò ob hoc progenies computatur, ut aperte monstratur usque ad quotam generationem à consanguineorum sit nuptiis abstinendum. Ibi praescribitur, ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur: hic verò, ut ritè & canonice inter

fideles nuptia celebrentur. In legibus distinctè non numerantur gradus, nisi usque ad sextum: in Canonibus autem usque ad septimam distinguuntur generationem.

Hac igitur de causa, quia hereditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam, idcirco curavit secularis Imperator in singulis personis singulos praefigere gradus. Quia verò nuptia sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri Canones duas in uno gradu constituere personas. Ita Alex. 2.

Et actutum subdit: Vtramque tamen computationem, si attentè ac subtiliter perspecta fuerit, idem sensisse, & eandem esse in eis sententiam, atque ad eundem terminum convenire, manifestissimum erit. Iustinianus namque, usque ad quem gradum consanguinitas ipsa perduret, in suis legibus non definit. Canones verò ultra septimam nullam numerare generationem. Sexto quippe gradu determinato, in ipsis legibus subintulit Imperator: Haecenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namque ex his palam est intelligere, quemadmodum posteriores quoque gradus numerare debeamus. Generata quippe persona semper gradum adjicit.

Ecce in his brevibus verbis aperte ostenditur, tales gradus, quales isti computant, non tantum usque ad sextum, verum etiam ultra numerari debere; quippe cum ultra sextum posteriores gradus numerandos esse decernat. Vbi enim anteriores nominat gradus, aperte indicat, non sex tantummodo esse gradus, sed sex finitis, adhuc alios numerandos. Nec mirum, cum in praecedentibus ipse firmaverit Imperator, decimo etiam gradu consanguineos sibi inter se posse succedere. Cum decimum nominat, non esse tantummodo sex, luce clarius consuetur.

Ut sit de hac convenientia utriusque computationis, certum est esse aliquam discordantiam, ut satis patet ex prioribus verbis Pontificis, & ex communi omnium sententia. Et verò computationem juris Canonici servandam esse quoad Matrimonia, nemo dubitat. Quia circa haec jus civile disponere nequit. At quoad successiones, omnino servanda est computatio juris civilis, cujus est de his disponere. Ita Sanchez sup. n. 8. cum aliis, quos citat.

Idque verum existimat & servandum in utroque foro, Covar. 4. Decret. part. 2. c. 6. §. 6. n. 8. ibi: Quò fit, ut promiscuè in utroque foro quoad conjugia Canonum computatio probanda sit. Ita Gloss. in arbore consanguinitatis, cui similis in §. Haecenus, Inst. de Grad. cognat. quam putat singularem esse Franc. in cap. 2. de Arbitr. in 6. haec est magis communis opinio. In hereditatibus verò ac successione in utroque foro legalem computationem esse advertendam & observandam, praedicti omnes sentire videntur. In aliis autem contractibus actibusque ceteris similibus, quaelibet computatio in proprio foro est servanda; nimirum civilis in foro saeculari, Canonica autem in foro Ecclesiastico.

Ceterum si à me quaeritur; quis gradus efficacior sit, utrum in linea recta, an in transversa? Respondeo verbis Scoti sup. ad propositum etiam est

38.  
Vtramque  
computationem  
idem sentit,  
juxta Alex. 2.

39.  
Computationis  
juris Canonici  
servanda est in  
Matr.

Idque in  
utroque foro,  
ex Covar.

40.  
Quis gra-  
dus sit effi-  
cax



tacior, in re-  
An, an in  
transversa  
linea, ex  
Scoto.

est una regula; quod efficacior gradus est in linea descendente, quam in transversali. Et ratio naturalis est; quia plus coniungitur proles parenti, quam proles proli: & ideo magis est contra legem naturæ, coniungi in primo gradu in linea recta, quam in transversali: semper enim fuit contra Matrimonium illa conjunctio; & magis filij ad matrem, quam patris ad filiam, quia major irreverentia est. Unde 8. de Animalibus dicit Aristoteles de equo, qui velatus cognoverat matrem suam, quod postea discopertis oculis videns hoc, se precipitaverit. Et alibi legitur de elephante, qui ingeniatus, ut matrem suam cognosceret, post hoc ingeniatiorem occidit; ex quo patet, quod hoc est contra legem naturæ, etiam ut competit brutis per propagationem, & ideo primus gradus descendens & potissime matris ad filium, maxime impedit Matrimonium.

41.  
An 1. gra-  
dus linea re-  
cte dirimat  
jure naturæ.

Sed numquid sic impedit, ut etiam dirimat? Et numquid dirimit jure naturali? Constat apud omnes, non eo ipso, quod Matrimonium jure naturæ interdicitur, consequi, eodem jure ipsum irritum fore. Quippe Matrimonium, contra priorem sponsalium fidem, aut adversus simplex castitatis votum ininitum adversatur juri naturali, dictanti fidem Deo per votum, & homini per sponsalia datam, præstandam esse; cum tamen constet in neutro eventum Matrimonium fore irritum. Sic ergo fieri posset, ut Matrimonium foret illicitum jure naturæ in aliquo gradu consanguinitatis, tamen validum eodem jure.

42.  
Quæ di-  
cantur præ-  
cepta natu-  
ralia, ex  
Sanchez.

Rogas: quæ dicantur præcepta naturalia? Respondet Sanchez sup. disp. 51. n. 4. quæ solo naturali lumine sine aliquo discursu, aut saltem facillimo dignoscuntur, & apud omnes nationes bene institutas sunt eadem, habentque eandem rectitudinem.

Et hæc quidem (prosequitur) aut prohibent rem ita intrinsecè malam, ut nullâ ratione, in nulloque eventum cohonestari possit, quale est mentiri aut fornicari. Vel rem semper malam, & apud omnes, talem tamen, ut ratione extremæ indigentia excusari possit: ut est furtum. Ita Sanchez.

Fornicari  
potest ali-  
quâ ratione  
honestari.

Ego autem dico: fornicari aliquâ ratione, & in aliquo eventum, posse honestari, fortè etiam mentiri; scilicet si Deus ea præciperet dispensando in illis præceptis secundæ tabulæ; unde pro exemplo melius posuisset odium Dei, quod Deus nullatenus potest præcipere.

Præterea dico: furtum non excusari ratione extremæ indigentia, sed benè acceptionem rei alienæ invito Domino, quæ esset furtum, nisi excusaret extrema indigentia; nam, eâ stante, Dominus non est rationabiliter invitus, quod requiritur, ut acceptio rei alienæ sit furtum; ac proinde in extrema necessitate non est furtum.

43.  
Aliquid est  
de lege na-  
turae duplici-  
ter, ex Sco-  
to.

Dico tertio cum Scoto 4. dist. 33. q. 1. n. 7. Aliquid est de lege naturæ dupliciter, scilicet primo, quod est verum practicum simpliciter notum lumine rationis naturalis, & ita potissimum gradum tenet principium practicum notum ex terminis. Secundum gradum tenet conclusio demonstrata ex talibus prin-

cipiis. Secundario autem est de lege naturæ, quod regulativer consonum est legi naturæ primo modo dicta. Circa primum nulla cadit dispensatio: & ideo ejus oppositum semper videtur esse peccatum. Circa secundum in casu cadit dispensatio, in quo communiter oppositum videtur consonum legi naturæ.

Breviter: lex naturalis præcipit ea fieri, quæ vel ex se necessaria sunt ad honestatem rationalis creaturæ, vel tantam habent cum ea conformitatem, ut propterea à Deo tamquam Autore naturæ fuerint Angelis hominibusque ab initio inspirata. Ex se autem necessaria sunt ommissio positivæ irreverentiæ Dei, sive per idololatriam, quæ prohibetur primo præcepto Decalogi, sive per falsum juramentum, quod prohibetur secundo præcepto Decalogi.

Ratio: quia sine quo non potest aliqua res attingere suum finem, illud ex se seu naturâ rei est illi necessarium. Et ideo ex se malum est corpori gravi ferri sursum, & ex se necessarium est ferri deorsum; quippe motus deorsum necessarius est, ut centrum suum seu finem possit obtinere. Atqui rationalis creatura non potest attingere suum finem ultimum, qui est Deus, si admittat illa, quæ necessario avertunt à Deo, qualia sunt habere Deos alienos, & assumere nomen Dei in vanum; ergo ommissio horum actuum est ex se necessaria ad honestatem rationalis creaturæ, & illi actus non possunt non habere aliquam indecentiam & inconvenientiam moralem, etiam secluso quocumque præcepto superaddito; quippe formaliter avertunt hominem à Deo, cum qua aversione nequit omnino stare consecutio ultimi finis, qui est Deus.

At verò præcepta 2. Tabulæ Decalogi, saltem pleraque, non versantur circa rem necessariam consecutioni ultimi finis; versantur siquidem circa jus bonorum temporalium cuique tribuendum; nempe ut quis honorem filiorum habeat, propriam uxorem, & alia bona possideat, ut vitam innocentem tueatur, quod jus constat non esse ex se necessarium, secluso scilicet præcepto Divino superaddito, ad ultimi finis consecutionem, & ex inde ad honestatem rationalis creaturæ. Cur enim non posset hic finis haberi, si filij non essent parentibus obligati, si uxores & alia bona forent communia, si denique liceret ex gravi causâ innocenti vitam auferre; v. g. si ad liberandum totam civitatem unus innocens occideretur, vel occiderentur filij monstrofi, ne essent infamiae parentibus vel humano generi?

Attendite Scotum 3. dist. 37. q. un. n. 5. Ad questionem dico, quod aliqua possunt dici esse de in utris non lege naturæ dupliciter. Vno modo tanquam prima principia practica, nota ex terminis, vel conclusiones necessario sequentes ex eis: & hæc dicantur esse strictissime de lege naturæ. Et rationes contra primam opinionem probant, quod in talibus non potest esse dispensatio, quas concedo: sed talia non sunt quæcumque præcepta secundæ tabulæ: quia rationes eorum, quæ ibi præcipiuntur vel prohibentur, non sunt principia practica simpliciter necessaria, nec conclusiones simpliciter necessaria: non enim in his, quæ

44.

Quæ sint ex  
se necessaria  
ad honestatem  
creaturæ  
rationalis.

45.

Et quæ non.

46.

de in utris non  
cadi dispen-  
satio. scilicet  
in his, ex  
Scoto.

p.c.



præcipiuntur ibi, est bonitas necessaria ad bonitatem ultimi finis, convertens ad finem ultimum: nec in his, quæ prohibentur, est malitia necessario avertens a fine ultimo, quia si bonum istud non esset præceptum, posset finis ultimus amari & attingi, & si illud malum non esset prohibitum, staret cum eo acquisitio finis ultimi.

De præceptis autem primæ Tabulæ secus est; quia illa immediate respiciunt Deum pro objecto. Duo quidem prima, si intelligantur esse tantum negativa, primum: Non habebis Deos alienos, secundum: Non assumis nomen Dei tui in vanum, id est, non facies Deo tuo irreverentiam: ista sunt strictè de lege natura: quia sequitur necessario: Si est Deus, est amandus ut Deus, & quòd nihil aliud est colendum tamquam Deus, nec Deo est facienda irreverentia: & per consequens in istis non poterit Deus dispensare, ut aliquis possit licite facere oppositum talis prohibiti. Hæc Doct. Subtilis.

47. Ius natura dirimit Matr. in quocumque gradu lineæ rectæ.

Quæ uberius ibi explicat; sed jam dicta sufficienter ad nostrum propositum, quod est, jus naturæ in quocumque gradu lineæ rectæ Matrimonium prohibere & dirimere, quæ est sententia Scoti, ut patet ex supra dictis. Et quidem Omnes, nemine excepto, docent, Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ jure naturæ non solum esse illicitum, sed etiam invalidum. Quantum ad ultiores gradus non conveniunt Doctores Catholici, ut statim videbimus.

Probatu dirimere in 1. gradu, ex Sanchez.

Sed unde, putas, efficaciter probatur communis doctrina? Nunquid ex eo, quòd tale Matrimonium omnes gentes bene instructæ, solo naturæ lumine edoctæ, nefandum existiment? Et Persæ, illud permittentes, notentur tamquam barbari? Ita probat eam Sanchez lib. 7. disp. 51. n. 7.

An efficaciter? Negat Perez.

Verum (inquit Perez hic disp. 28. sect. 3. n. 3.) hæc ratio non vincit; solum enim probat id Matrimonium, & ejus usum esse jure naturæ illicitum, non verò irritum, ut rem consideranti apparet manifestum. Hæc ille.

48. Auctor existimat quòd sic, supposito quòd usus talis Matr. nullo eventu possit esse honestus.

Sed mihi rem consideranti manifestum apparet, quòd hæc ratio vincat, ex hypothesi, quòd probet id Matrimonium, & ejus usum, esse jure naturæ illicitum, ita ut nequeat ullà causà justà honestari, ut ibidem docet hic Auctor, dicens: Existimo nullam aliam rationem firmiorem ad illud (scilicet, tale Matrimonium esse jure naturæ irritum) probandum adduci posse, nisi illam, quæ deducitur ex illo principio à nobis sup. tradito præced. sect. n. 6. nempe, homines non habere absolutum dominium corporum suorum, sed solum tale, quale Deus illis concessit; atque ideo invalidè illud alteri per Matrimonium tradere alià ratione, quàm Deus illud concesserit: ex hoc enim principio formatur hæc ratio efficax. Nam dedecet infinitam honestatem ac sanctitatem Dei, dedisse homini voluntatem transferendi in alium dominium sui corporis ad eum usum, qui adeò est summè inhonestus, ac indecens, & rectæ rationi repugnans, ut nequeat ullà causà justà honestari; talis verò est omnis usus Matrimonij inter patrem & filiam, & inter

filium & matrem, cum constet, copulam parentis cum prole naturam ita gravissimè abhorrerè, ut etiam plurima bruta eam abhorreant, nec ad eam adigi possint. Igitur dicendum est, Deum numquam concessisse potestatem id Matrimonium contrahendi. Ita Perez.

Ego autem dico: si verum est, quòd ratio Sanchij vincat, tale Matrimonium, & ejus usum adeò esse illicitum, ut nequeat ullà justà causà honestari; vincere quoque, tale Matrimonium esse invalidum; nam ideo invalidum, quia usus ejus summè inhonestus; ergo ratio, quæ vincit hanc inhonestatem, etiam vincit invaliditatem. Alioquin Matrimonium foret vinculum iniquitatis; quippè obligaret ad usum Matrimonij summè inhonestum, cum tamen nemo ad malum possit obligari.

Lex naturalis (inquit Suarez lib. 5. de Legibus cap. 27. n. 7.) non tantum dicitur, quid honestum vel turpe in actione aliqua; sed etiam dicitur, quid tale sit in usu illius vinculi vel effectus, quem talis actus post se relinquere possit. Nam si talis usus habet turpitudinem intrinsicam ejusdem rationis cum turpitudine prioris actionis, tunc necesse est, etiam illum usum prohiberi ex vi ejusdem legis naturalis, & consequenter impediri effectum seu vinculum, quòd solum propter talem usum induci poterat. Nam si induceretur, esset etiam turpe & contra rationem, quia esset iniquitatis vinculum; ut in exemplo de Matrimonio inter consanguineos in primo gradu videre licet. Sic Suarez.

Igitur in illo solo eventu, in quo usus talis Matrimonij foret honestus, tale Matrimonium foret validum. Si autem quaritur; an in aliquo eventu, & in quo, usus talis Matrimonij possit esse honestus, & per consequens honestum & validum tale Matrimonium. Respondet Perez sup. sect. 2. n. 11. Etsi solus pater & filia, vel mater & filius ex omni hominum genere superessent, non fore licitum in eo casu Matrimonium contrahere, nec Deum posse talem facultatem concedere.

Prima pars probatur; quia illud est adeò intrinsecè malum, & ita à ratione abhorrens, non secus, ac mendacium, ut nullà decenti causà honestari possit. Secundum liquet; quia cum talis usus nequeat ullo modo honestari, propter intrinsicam indecentiam, non secus ac odium Dei & mendacium, non videtur possibilis Dei concessio ad tale Matrimonium & usum peragendum. Unde in eo eventu judicandum est, Deum velle totum genus humanum perire, ne talis indecentia committatur, præsertim cum facile potuisset illum casum impedire infinitis aliis modis decentissimis. Hæc ille.

At verò Coninck disp. 32. postquam n. 13. probavit invaliditatem talis Matrimonij eo argumento, quòd sup. Perez ex ipso descripsit, scilicet; omnino incredibile est, Deum dedisse homini potestatem transferendi in alium dominium corporis sui ad eum usum, qui nullo unquam casu futurus fuisset non summè inhonestus, & quem recta ratio summè detestatur: at-

49. Probatur.

Quid lex naturalis dicit, ex Suarez.

50. An in aliquo casu usus talis Matr. possit esse honestus. Negat Perez.

Et probat.

51. Coninck concedit de absoluta Dei potentia.



qui talis est omnis usus Matrimonij inter prolem & parentem, ergo &c. Ex hoc, inquam, argumento inferit n. 14. tale Matrimonium nullo unquam casu, sine expressa Dei concessione (in qua, quod minus de absoluta potentia fieri possit, nullam video implicantiam: quia Deo non desunt causæ, quibus illa concessio posset honestari) validè posse contrahi, etsi soli pater & filia ex omni hominum genere superessent. Ita Regius.

52. Quare, secundum ipsum, & communem aliorum sententiam, usus talis Matrimonij, & per consequens tale Matrimonium, non habet eam intrinsicam indecentiam, quam habet odium Dei & mendacium; nam in his, juxta communè sententiam, Deus non potest dispensare, seu concedere, ut licitè & honestè fiant. Et quamvis de mendacio ego multum dubitem, equidem de odio Dei non video rationem dubitandi.

An Deus possit dispensare in mendacio. Mea autem ratio dubitandi de mendacio hæc est: quia non avertit formaliter ab ultimo fine, cum immediatè non respiciat Deum, sed proximum, in cujus intellectu error generatur. Et aliunde non sequitur, si mendacium possit esse honestum, Deus posset mentiri; quia multa sunt, quæ Deus non potest facere, estò honestè fiant ab hominibus. Non posset igitur mentiri, non quia hoc repugnaret summæ ejus bonitati, nam suppono quòd non esset malum, sed quia hoc repugnaret summæ ejus veracitati, ratione cujus nec falli potest, nec fallere.

53. Utut sit de mendacio, saltem in odio Dei non videtur Deus posse dispensare, illud præcipiendo; sic enim idem actus foret odij, & amoris, averfio Dei, & conversio; quia impletio præcepti Divini non potest non esse conversio, & amor aliquis Dei.

Deus potest dispensare in prædicto Matr. ex Sanchez. Igitur Matrimonium inter parentem & prolem non est tam malum, sicut odium Dei, si Deus in tali Matrimonio possit dispensare. Neque est ita intrinsicè malum (inquit Sanchez sup. n. 9.) ac mendacium: atque idèò posset Deus Opt. Max. dispensare, ut id Matrimonium iniretur. Quia nullus gradus tollit omnino finem Matrimonij, licet aliquo modo impediat. Ex eo enim conjugio nasci possunt liberi, & educari. Hæc ille cum alijs, quos citat.

54. Estque hæc opinio à nobis omnino sequenda, tamquam Doct. Subtilis, qui loco sup. citato docet, Deum posse dispensare in præceptis secundæ tabulæ (excepto mendacio) eò quòd in his, quæ præcipiuntur, non sit bonitas necessaria ad bonitatem ultimi finis, convertens ad finem ultimum, nec in his, quæ prohibentur, malitia, necessariò avertens à fine ultimo. Iam autem liquet, in tali Matrimonio non esse malitiam, necessariò avertentem à fine ultimo, quin, si illud non esset prohibitum, staret cum eo acquisitio finis ultimi. Igitur in eo posset Deus dispensare, sicut in præceptis Decalogi secundæ Tabulæ, quæ non sunt de lege naturæ strictissimè seu strictè, sed latè tantum; quia ea, quæ præcipiuntur, tantam habent conformitatem cum natura rationali, & ea quæ prohibentur, tantam difformitatem & indecentiam, ut propterea Angelis & hominibus à principio Deus ea inspiraverit tamquam auctor naturæ.

Bosco de Matrim. Pars II.

Atque hanc & non aliam indecentiam admittimus in Matrimonio & usu ejus inter prolem & parentem; ac proinde dicimus, Deum in eo Matrimonio posse dispensare, non minus quàm in fornicatione, furto, homicidio &c. Nec oppositum solidà ratione vel auctoritate nititur: solus, quòd sciam, Perez id docet, potius asserendo, quàm probando.

55. Major difficultas est; an in aliquo evento citrà specialem Dei dispensationem liceat & valeat tale Matrimonium, v. g. ratione extremæ indigentia; ut si soli filius & mater, aut pater & filia in mundo superessent.

Sanchez sup. n. 10. cum alijs multis, quos citat, existimat verius esse, tunc licere. Primò: quia sic D. Chrysostomus Homil. 44. in Gen. & D. Ambr. lib. 1. de Abraham, c. 6. excusant filias Loth à culpa, dum cum patre concubuisse: existimabant enim nullum virum superesse, qui generationi deservire posset. Gen. 19.

Deindè: quia malum ordinis inferioris honestari potest propter superioris ordinis bonum, ut damnum vitæ propter bonum rationis. Cum ergò malum privatum irreverentiæ paternæ, conlurgens ex tali Matrimonio, sit inferioris ordinis respectu boni communis, ad quod spectat conservatio speciei, poterit honestari, ut huic consulatur. Ita Sanchez.

56. Sequitur Basil. Pontius lib. 7. cap. 31. n. 5. ibi: Quàmvis adeò turpis sit (conjunctio inter parentem & prolem) occurrere potest aliud præceptum urgentius & efficacius, quo absque dispensatione ulla cesset obligatio non contrahendi ea conjugia: ut si deficiat genus humanum, ut contigit in primi ævi Matrimonijs. Quæ existimatio, licet tempore illo non satis prudens, filiarum Loth peccatum aliquantulum excusavit; crediderunt enim perire genus humanum, atque idèò licere sibi à parente posteritatem accipere; immò & nonnulli ex Patribus factum filiarum Lot non solum non accusant, sed etiam à peccato liberant.

57. Nisi fortè quis dicat, Matrimonium patris cum filia, matris cum filio, Divinà aliquâ lege potius prohibitum, quàm naturali, quæ quia consonat naturæ, naturalis dicatur, & traditione derivata sit: quod mihi aliquantulum arridet, cum non inveniam firmum aliquod argumentum, quod ostendat, hanc conjunctionem jure naturali nullam, cum non opponatur ita clarè fini Matrimonij, quod necessarium esset, ut jure naturali irritaret. Quàmvis hujus Divini præcepti, adhuc perservantis, nullum inveniam vestigium. Hactenus Pontius.

Ubi bene advertit, illam irritationem juris potius Divini esse, quàm naturalis strictè dicti, ut patet ex antedictis. Porro vestigium hujus Divini præcepti, adhuc perservantis, invenitur in cordibus hominum; nam lex naturalis, non solum strictè dicta, sed etiam latè dicta, scripta est à Deo in cordibus hominum. Vestigium ergò

Oppositum non nititur solidà ratione.

55. An liceat, si soli pater & filia superessent.

Affirmat Sanchez, & probat Primò ex D. Chryf. & Ambr.

Secundò ex ratione.

56. Consonat Pontius.

57. Arridet et hoc Matr. potius lege divina, quàm naturali prohibendum esse.

Vestigium illius legis invenitur scriptum in cordibus hominum.



ergo illud est lumen rationis, quod ante prohibitionem hujusmodi Matrimonij in lege veteri, dictabat, & adhuc dictat, illud esse planè illicitum, propter reverentiam debitam parentibus in actu conjugali, ad quem Matrimonium ex natura sua ordinatur, ut statim latius dicitur.

58. *Coninck requirit expressam dispensationem.*  
His tamen non obstantibus, opposita sententia suos etiam habet patronos; Coninck sup. ubi præter extremam indigentiam requirit expressam dispensationem Dei: & continuò subjungit: Quòd autem aliqui dicunt, eo casu præsumendum fore, Deum dispensare, ut tales inter se contraherent, nescio quo fundamento dicant, eum tunc potius præsumendum esset, Deum velle totum genus humanum interire, quod permisisset in eum statim incidere, in quo non posset ulterius licitè conservari, sine concessione rei, quæ ita à recta ratione abhorret: præsertim cum infans aliis modis decentissimis potuisset eum casum impedire.

Et confirmatur: quia si in tali casu liceret eam Dei dispensationem præsumere, multò potiore ratione possemus præsumere, Deum dispensare, ut quis cum secunda, vivente priore uxore, contraheret, quando hoc ad gravissima mala impedienda esset necessarium. Quia Deus hoc in veteri lege generatim concessit, illud verò nunquam. Ita Coninck.

59. *Resp. ad D. Chryf. & D. Ambr.*  
Respondet autem, Div. Chrysoctomum & D. Ambrosi. tantum velle, filias Lot ex perturbatione errasse tam circa mundi interitum, quam circa necessitatem hujus remedij & actus licentiam. Nam (inquit) etiamsi verè tunc illi soli fuissent in mundo, & tali casu licitè filia nuberet patri: tamen illæ excusari hæc ratione non poterant, quæ sine ullis nuptijs patri copulatæ sunt, eumque actu inebriarunt, ut ad tantum scelus ignarum pellicerent, quod sciebant sobrium nunquam admissurum. Incredible autem est, tantis Patribus unquam venisse in mentem, ista, seclusà ignorantia, potuisse unquam licitè fieri. Hæc ille.

Ego dico: non esse omninò incredibile, tantis Patribus aliquando venisse in mentem, quod postmodum multis viris doctis venit in mentem, scilicet supposità verà necessitate extremâ, irreverentiam in tali casu cessare, quæ alioquin extrâ necessitatem inveniretur in tali Matrimonio, & ejus usu.

60. *Aliquando cessat irreverentia in necessitate, qua extrâ eam foret.*  
Et verò quis nesciat (Theologis scribo) sæpè sæpius actum aliquem, qui extrâ necessitatem gravis foret irreverentia, v. g. sumptio Eucharistiæ in malo statu, in necessitate excusari posse ab ea malitia? Cur sic itidem non posset excusari ab irreverentia copula inter patrem & filiam, ratione extremæ indigentiae boni communis, tamen extrâ eam necessitatem foret gravis irreverentia? Non video, quid efficaciter obstat. Nam etiam in simili adducto, Deus aliis modis decentissimis posset impedire majorem irreverentiam, aliàs obventuram Eucharistiæ, nisi sumeretur in malo statu, ut consideranti manifestum est. Licet ergo in casu proposito, Deus posset aliis modis decentissimis providere gene-

ri humano, tamen ad illos modos non tenetur, sed potest velle, ut per talem copulam species humana conservetur. Dicere: semper manet illa irreverentia, est petere principium; de hoc enim quaeritur; & si alij affirmando probârunt, alij negando reprobarunt.

Hinc Dicastillo disp. 7. n. 202. Sanè (inquit) quamvis utraque sententia probabilis sit, probabilius mihi apparet prima, & fundamentum illius: nam secunda sine probatione assumit, adhuc pro tali casu perseverare irreverentiam, quod prioris sententia Auctores negant; neque enim pro tali casu necessitatis debetur illa reverentia ascendenti; id enim non est per se notum, alioquin viri doctissimi non negarent: immò illis potius apparet, talem irreverentiam non esse, propter rationem allatam. De sententia tamen Chrysoctomi & Ambr., nihil ex iis locis certi colligitur, & ad excusandas filias Loth à peccato, satis est, quòd existimassent licere; quamvis errarent. Hæc ille.

61. *Dicastillo approbat primam sententiam.*  
Sed audiamus nostrum Hiquem in suo Comment. 4. dist. 40. q. un. n. 8. judicarem (inquit ille) esse illicitum (talem contractum) nisi Deus dispensaret, & deberi tunc ejus voluntatem expectari; præceptum enim illud: *Crescite & multiplicamini* &c. non comprehendit tale connubium; quia personæ sunt inhabiles jure Divino & naturali; & sicut non liceret citrà Matrimonium & contractum multiplicare, quia hoc lege Divina non est concessum; sic etiam neque personæ inhabiles eadem lege ad Matrimonium, possunt illud inire ex obligatione præcepti propagationis, nisi Deus tollat impedimentum.

62. *Hiquem amplectitur secundam sententiam. Probat 1.*  
Deinde: quia finis Matrimonij est propagatio hominum in cultum Dei: in casu ergo illo incertum esset, an Deus vellet talem cultum, aut eos sic propagari, donec ipse suam voluntatem declararet; maxime stante impedimento, quod per ipsum solum potest relaxari. Aliud autem est in casu, quo Religiosi soli manerent: quia illi lege Divinâ non sunt inhabiles ad Matrimonium, sicut pater cum filia, & mater ad contrahendum cum filio. Ita Hiquæus.

63. *Respondet ad rationes in contrarium. Ad 1.*  
Et n. 9. ad rationes in oppositum respondet: quòd non solum contractus sit irritus ex eo capite (puta irreverentia) quamvis reverentia paterna, ne commisceantur, aut confundantur jura pietatis, & thori, sit bona congruentia, unde colligamus impedimentum; sed impedimentum oritur ex ipso contractu, ut fundatur lege Divinâ & naturali alterius societatis, & amicitia diversæ.

64. *Ad exemplum de filiabus Loth. Ad 3.*  
Quod additur de filiabus Lot, nihil confert, quia licet ille desiderio prolis commixtae sunt cum parente ebrio, tamen certum est, non intercessisse connubium, quia defuit voluntas parentis ad contractum: ac proinde fuit copula illicita ex parte ipsarum, quamvis magis excusabilis, quia ob finem successionis, & non libidinis habita.

Ad aliud, quamvis verum sit, non obesse bono prolis aut fini Matrimonij, hic & nunc in casu tale connubium; tamè repugnat vinculo, quod nequit induci nisi in materia capaci, & intrinsecè repugnat contractui legitimo, Usque adhuc Hiquæus. Sed



Videtur pe-  
rere princi-  
pium.

Sed hic rursùm petitur principium, : nam quærimus, an pro tali casu personæ sint inhabiles jure Divino & naturali ad Matrimonium; an verò jus naturale & Divinum à principio illum casum non compræhenderit. Quòd non possint citrà Matrimonium copulari tali casu, quid mirum, cum nulla sit necessitas? Nam possunt copulari contracto priùs Matrimonio.

65.

Deus potuit  
ab initio excepisse illum  
casum. Et  
videtur sic  
fecisse.

Et verò per solum Deum posse relaxari hoc impedimentum, libenter admittimus; sed unde constat, in tali casu impedimentum illud stare? Et Deum à principio non excepisse illum casum? Sicut enim in tempore potest in illo casu dispensare seu impedimentum tollere; sic etiam à principio potuit nolle impedimentum pro tali casu ponere. Et videtur noluisse ponere, quando voluit per Matrimonij usum genus humanum conservare, donec oppositum expressè declararet. Non declarat autem hoc ipso, quòd permittat hunc casum evenire; quia potest habere alias justissimas rationes nobis incognitas; adeoque incertum esset, an velit interitum generis humani, donec ipse suam voluntatem magis declararet.

Fateor, Religiosi jure Divino aut naturali non sunt inhabiles ad Matrimonium; sed tamen jure naturali impediuntur; sicut ergò jus illud naturale, quo prohibentur contrahere in tali casu, absque alia dispensatione Dei aut hominis cessaret, quid ni similiter cessaret impedimentum dirimens inter patrem & filiam?

66.

Referitur ex  
Hiquæus, ali-  
quando Pa-  
pam dispensasse  
in tali  
Matr.

Cæterùm Hiquæus sup. n. 10. admittit sententiam Sanchij esse probabilem, si, inquit, verum est, quod à fide dignis audivi, nempe, fuisse confirmatum & dispensatum tale Matrimonium parentis cum filia, ex quo secuta est proles, utroque ignorante impedimentum, donec avia secretò revelavit nepoti, se duxisse filiam, postquam aliquot annis in bona fide convixerunt; dicitur autem communicasse casum Clementi 8. & Clementem ob circumstantias præponderantes scandali, & aliorum inconvenientium, dispensasse in foro interno, ut in tali Matrimonio, bonâ fide contracto, perseverarent. Viri fide digni id mihi retulerunt.

Expenditur  
ab eo.

Non inde sequitur, Matrimonium tale absolute esse subjectum dispensationi Pontificiæ; sed in circumstantiis, in quibus vinculum fortius Divini juris obligat, & gravissima damna & scandala alioquin sequerentur; idque judicarem tantum in foro interiori, quando aliter nequit provideri: quia plenaria potestas, etiam ad casus quoscumque extenditur in ea circumstantia, quâ necessariò provideri debet salutem animarum: & materia hæc non est ita intrinsecè & ex objecto mala, ut sit omninò indispensabilis, ut lex strictè naturalis, sicut scandalum, quod ex dissolutione illius Matrimonij sequeretur, & alia pericula contrahentium. Hactenus ille Auctor.

67.

Sed iudicio  
Auctoris  
minus rectè.

Verùm enim verò haud satis solidè, meo iudicio, Consentio quidem, plenariam potestatem ad quoscumque casus se extendere, extrà saltem materiam juris naturalis strictè; ast hanc plenitudinem potestatis competere seu inesse Summo Pontifici, constanter nego, nisi quis admittere audeat, Summum Pontificem posse dispensare in foro interiori in furto, homicidio, adulterio, & aliis similibus præceptis, quæ sunt tantum juris naturalis latè dicti, in quibus, secundum Scotum, Deus potest dispensare; nam & in illis dispensatio potest esse necessaria salutem animarum propter scandala aliorum, & gravissima damna, quæ alioquin sequerentur.

Quis non videt, nisi hic & nunc dissolvatur Matrimonium fidelium consummatum, gravissima posse oriri scandala & damna? An propterea diceret Hiquæus, Summum Pontificem in eo posse dispensare? Deberet sanè dicere, si consequenter vellet loqui; nam illud Matrimonium, secundum Scotum, & Alios omnes, non est ita indissolubile, sicut lex naturalis strictè, & tamen talis dissolutio potest esse necessaria pro salute animarum, æquè atque dispensatio in casu proposito.

Et nonne cap. 2. de Regulis juris dicitur: *Vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur?* Scio Gloss. ibi verb. *Veritas, intelligere, quod hic dicitur, de his quæ indispensabilia sunt, ibi: Et intellige, quod hic dicitur, de his, quæ indispensabilia sunt, & tale jus commune, quod indispensabile est, veritas appellatur.* Sed nunquid per jus commune indispensabile intelligit solum jus naturale strictè dictum? Non est credibile. *Ius commune, inquit, quandoque indispensabile est, i. q. ult. Et si illa, & de tali hic loquitur, tale jus pro nullo scandalo relaxandum est.*

Describo verba d. cap. 1. quæst. ult. *Et si illa nonnunquam sinenda sunt, quæ, si cæterorum constet integritas, nocere sola non valeant: illa tamen sunt magnopere præcavenda, quæ recipi nisi manifestè à decoloratione non possunt.* Ubi Gloss. verb. *Decoloratione, inquit: Putà, si esset latro vel ebriosus, ut extrà de Reg. juris, Estote, in fine, ibi: De manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri: ut stuprum, blasphemia, furta, ebrietates, & similia.* Inter quæ, procul dubio enumerari possunt dissolutio Matrimonij consummati, & Matrimonium inter parentes & filios; hæc igitur pro nullo scandalo relaxanda sunt.

Unde non assentior iis, qui dicunt, Clem. 8. dispensasse in Matrimonio sup. proposito, sed ad summum permisit illud, tamquam minus malum, si verum est, tale Matrimonium jure naturæ, saltem latè dicto, esse illicitum, imò & invalidum.

Porro etiam invalidum esse extrà casus jam adductos (putà, nisi à Deo specialiter dispensetur, aut occurrat extrema indigentia generis humani) probat præterea Sanchez sup. Quia ea conjunctio adversatur quodammodò substantiæ ipsius Matrimonij. Cum enim hoc sit quidam contractus, & conjugalis amicitia, desiderat duo extrema distincta, quorum unum non sit alterius pars, juxtà id Gen. 2. *Et erunt duo in carne una.* At filij sunt quædam parentum pars, Non ergò possunt Matrimonio jungi.

Et confirmatur: quia cum sint una caro per

Et confirmatur: quia cum sint una caro per

Et confirmatur: quia cum sint una caro per

Nam sequeretur, Etiam posse dispensare in Matr. consummato.

68.

Opponitur etiam c. 2. de Reg. jur.

69.

Auctor non assentitur d. dispensationi Clem. 8.

Probatur Matr. in 1. gradu esse invalidum, ex Sanchez.

Confirmatur.



conjunctionem naturalem, non sunt naturaliter habiles, ut ex eis denuò fiat una caro, ad quod tendit conjugium. Unde Adamus Gen. 2. afflatus Spiritu sancto antequam pronuntiaret, conjuges effici unam carnem, exclusit parentes à liberorum conjugijs, significans, id dictante ipso naturæ jure, alios à parentibus debere esse liberorum conjuges, ibi: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhaerebit uxori suæ.* Hæc ille.

70.  
Alia probatio, ex eod.

Neque his contentus, aliam adducit probationem: Quia, inquit, adversatur primario Matrimonij fini, non simpliciter; ex concubitu enim parentum cum filiis potest subsequi proles, atque apud eos educari; sed ut convenienter fiat. Natura enim Matrimonij, ut convenienter inearatur ad generationem prolis, petit uxorem esse viro subditam, ac ejus sociam, eique parem in actu conjugali. At repugnat naturæ filium æqualem ac socium parentibus fieri in quodam actu naturali, quamvis in contractu civili societatis id non dedecet, ubi æqualitas est parvi momenti, ac facile dissolvi potest contractus ille.

D. Aug.

Insuper repugnat ei conjunctioni conjugali reverentia, parentibus præcepto naturali à filiis debita. Huic enim reverentiæ maximè adversatur conjugalis actus, qui sine turpitudine quadam & irreverentia exerceri nequit, ut testatur D. August. lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. ibi: *Nescio quomodo inest humana verecundia quiddam naturale atque laudabile: ut cui debet causâ propinquitatis verecundum (aliàs reverendum) honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.*

71.  
Ultima probatio.

Tandem: quia repugnat fini secundario Matrimonij, qui est concupiscentiam reprimere. Quòd parentes & filij in eadem domo habitent, & assidue nocte & interdiu simul versentur: quamobrem si natura inter eos non irritasset Matrimonium, maximis incestibus aditus pateret. Quippè facilius cum eis peccata hæc perpetrantur, cum quibus jus est Matrimonij incumbendi. Insuper juncti amore naturali sanguinis, & conjugij, vacarent effrenatè libidini. Ita Sanchez.

Impugnatur à Coninck

Sed ex hac ratione sequeretur (inquit Coninck sup. n. 3.) nuptias debere esse illicitas inter ejusdem Domini famulos, ne fortè earum spe excitentur ad fornicationem. Itaque ex eo, quòd ob hominum malitiam contingat ex aliqua re sæpè aliqua mala nasci, non sequitur, eam esse omninò illicitam. Aliàs oporteret omnem usum vini esse illicitum, quia multi se inebriant. Et eadem ratio probaret, Matrimonium inter fratres & sorores non solum esse illicitum, sed etiam invalidum, quia & ipsi in eadem domo habitant, & assidue nocte & interdiu simul versantur. Et quamvis id Sanchez admitat, ut infra suo loco videbimus, tamen Alij multi negant. Quapropter hæc ratio non convincit intentum.

72.  
Alia probatio

Porro duas præcedentes rationes desumpsit Sanchez ex D. Tho. 4. dist. 40. q. 1. art. 3.

ubi sic ait: *In Matrimonio illud contra naturæ lectionem esse dicitur, per quod Matrimonium redditur insumpta summa competens respectu finis, ad quem est ordinatum.* Finis autem Matrimonij per se & primò est bonum proli, quod quidem per aliquam consanguinitatem, scilicet inter patrem & filiam, vel filium & matrem impeditur, non quidem ut totaliter tollatur; quia filia ex semine patris potest prolem suscipere, & simul cum patre nutrire & instruere, in quibus bonum proli consistit; sed ut non convenienti modo fiat. Inordinatum est enim, quòd filia patri per Matrimonium adjungatur in sociam causâ generandæ prolis & educandæ, quam oportet per omnia patri esse subiectam, velut ex eo procedentem. Et idè de lege naturali est, ut pater & mater à Matrimonio repellantur, & magis etiam mater, quam pater; quia magis reverentiæ, quæ debetur parentibus, derogatur, si filius matrem, quam si pater filiam ducat in uxorem, cum uxor aequaliter viro debeat esse subiecta. Hactenus Doct. Ang.

Audite etiam Doct. Seraphicum ead. dist. a. 1. q. 2. in corp. Dicendum, quòd vinculum consanguinitatis impedit (intelligit impedimentum simpliciter, id est, impedimentum dirimens) Matrimonium in aliquo sui gradu propter dictamen legis naturæ; in aliquo vero propter prohibitionem legis Divinæ; in aliquo propter statutum Ecclesiæ. Vinculum consanguinitatis, quòd est spiritus ad prolem, impedit propter dictamen naturæ. Unde naturale est apud omnes, quòd filius non jungatur matri, & quòd filia non jungatur patri.

Et si queratur ratio, quare hoc est; dicendum, quòd hoc est propter reverentiam & honorem, qui debet exhiberi patri & matri, & idè non debent commisceri. Vel propter generationis successionem, quæ debet procedere, non retrocedere. Unde non debet proles genita conjungi suo principio, ut signat. Et hinc est, quòd natura dicitur, quòd alio affectu tractandi sunt parentes, alio affectu tractari debent conjuges. Idè propter dictamen naturæ impeditur Matrimonium per consanguinitatis primum vinculum, quæ est prolis genita ad suum principium. Ita D. Bonnav.

Scitè ergò scripsit D. Ambr. Epist. 66. aliàs lib. 6. Epist. 48. quæ est ad Paternum: *Ne pater filiam suam accipiat uxorem, interdictum est jure naturæ, interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum, interdictum est in violabili præscriptione pietatis titulo necessitudinis.*

Ubi rationem assignat pietatem sive reverentiam debitam patri & matri, quam dicit inviolabiliter esse præscriptam, id est, in omni casu ordinario obligare, adè ut usus conjugalis inter tales personas ex natura sua, & ex suo objecto, involvat indecentiam & inhonestatem.

Ex quo rectè inferitur, ut sup. adhuc dixi, & iterùm dico, tale Matrimonium per se loquendo non valere; quia non est credibile, Auctorem naturæ instituisse validum aliquem contractum, qui nunquam possit habere licitum usum, ad quem ex natura sua ordinatur, & ad quem ex justitia obligat; sic enim esset vinculum iniquitatis. Iniquitatis, inquam, non ex aliquo accidente, quòd facile tolli

73.  
Consonat Doct. Seraph.

74.  
Ejusdem ab-  
Arina est  
D. Ambros.

75.  
Tale Matr-  
per se non  
valet.



tolli potest, ut quando duo contrahunt, qui habent votum castitatis; sed ex ipsa natura personarum, & copulæ carnalis inter illas, quæ præcisè, quia inter illas personas est, ex objecto suo est inhonesta; neque de facili dispensatur, quia à solo Deo.

An omnes Gentile s. illud abhorrentur.

Hinc, ut patet ex dictis, omnes Gentiles, benè instructi, solo naturæ lumine edocti, eam abhorruerunt; immò & bestiarum, ut sup. dixit Scotus, ab hujusmodi concubitu abhorrent.

76. Quid non conatur ostendere Caramuel.

Sed contrà hoc arguit Caramuel Theol. Moral, lib. 2. n. 541. dicens: Patris & filij Matrimonium non fuisse contrà legem naturalem, expressè docuerunt multi Ethnici, quorum historias quotidie legimus in variis libris. Hiberni ingenio sunt felices, & præcoces, habuerunt viros præclaros & doctos, antequam Evangelium admitterent, in sua idololatria fuerunt exacti, timorati & solliciti; nihilominus aliquando publicâ resolutione decretum, licere filiam duci à patre.

77. Ad hoc adducit historiam cuiusdam Regis Hiberniæ, ex Surio.

Historiam expendit Surius die Majas 15. ex Petro Cameracensi & aliis, asserens B. Dymniam pulcherrimam adolescentem, Regis Hiberniæ filiam, & cælesti lumine illustratam, nomen dedisse Christianæ Religioni. Mortuâ matre, in Comitibus de Dympnâ sponso, Regis genero, imò futuro Rege tractabatur. Dilectæ filiæ Rex Monarcham, tantâ dignum Principe, exoptabat. Examinatur, controvertitur, disputatur, & tandem ex plurium suffragiis Conscripti Patres resolverunt, cuiam deberet nuberè, & Legati, belli & pacis doctissimi, Regi anxio Concilij resolutionem insinuarunt.

Nos quidem, inquit, Inviçtissime Rex, Majestatis tuæ jussis obtemperantes, nullum præter te tantâ Principe dignum reperire potuimus; & præter Dymniam nulla est inter Principes digna te conjuge. Si placet, jube illam tibi potiùs felici Matrimonio conjungi. Placuit parenti resolutio, displicuit virgini, quæ sub initium dissimulans, in Belgium profugit, ubi capitur, & in patriam redux, cum constans remaneret, ultimâ sententiâ condemnatur.

78. An, inter Hibernos tale Matrimonium fuisse licitum.

Omitto hujus historiæ circumstantias aliquas, licet dignissimas ponderatione. Video tamen inter Hibernos supponi, talia Matrimonia esse licita; quia si ipsi sensissent, illa jure naturæ, cui etiam in Gentilismo tenebantur, esse irrita, nullo modo decrevisset connubium, nec insolenti decreto adquevisset Rex; aut saltem, ut vulgò satisfacerent, colore & prætextu juris excusassent. Præsumendum est igitur non fuisse insolens decretum, nullo contradicente.

Occurrit objectioni.

Nec sufficit: restitisse constanter Beatam Principem, quia ipsa Christiana erat, & in nostra Religione interduntur talia Matrimonia. Imò hinc videtur deduci conjecturam aliquam in contrarium. Ideò Dympna corde virili restitit, quia Christianis in primo gradu contrahere Matrimonia non licet; ergò ideò Regis Consiliarij, imò & ipsemet Rex, connubium hujusmodi instituerunt, quia in Religione idolola-

trica permittebatur; fortè eo collineantes, ut illam longiùs à Christianismo averterent. Hucusque Caramuel.

Ast, quæro ego: idololatria prohibita est jure naturali? Planè, inquis, idque jure naturali strictè dicto, in quo nulla cadit dispensatio, quâ fiat honesta & licita, & tamen Hiberni, licet ingenio sint felices & præcoces, & habuerint viros præclaros & doctos, Idololatræ erant tunc temporis, & idololatriam putabant licitam & honestam, estò repugnaret juri naturali strictè. Ergò ex eo, quòd Consiliarij isti Regis decreverint Matrimonium parentis cum filia tamquam validum & honestum, non licet inferre; ergò Matrimonium istud jure naturæ non est invalidum aut illicitum. Et quid mirum, si errarent in præcepto latè dicto, qui errabant in præcepto naturali strictè.

Nonne & olim & hodie aliquæ Gentes, etiam cultæ, admittunt & admisère polygamiam, libellum repudij & similia, quæ sunt tamen contrà jus naturale? Imò & nonnulli existimârunt mendacium in aliquo casu esse licitum, ut videre poteris apud Cassianum Collat. 17. cap. 17. Num inde rectè infertur: ergò non est prohibitum lege naturali?

Sic ergò & illi Consiliarij adhuc idololatræ, adeoque habentes intellectum obscuratum, & quasi legem naturalem deletam ex cordibus suis, ac solum innitentes prudentiæ hujus mundi, quæ magis fatuitas est, quamvis generaliter judicassent illicitum & invalidum tale Matrimonium; tamen propter circumstantias occurrentes poterunt facillimè dici, ut judicarent in tali casu licitum; maximè cum etiam hodie adhuc disputetur, ut sup. audivimus, an in aliquo casu, sinè expressa Dei dispensatione, valeat & liceat.

Atque ut Idololatræ illi judicassent generaliter tale Matrimonium validum & licitum, parum curandum de hujusmodi judicio, quòd proventit ab intellectu, ut dictum est, prorsus excæcatorum & obvoluto tenebris ignorantie unius Dei. Unde decretum istud insolentissimum fuit, & ideò B. Dympna jam illustrata lumine veræ fidei, constanter ei restitit malens mori, quam fœdari turpissimo Matrimonio cum proprio patre, & barbaro ac belluino cum eo congressu, à quo & bestiarum abhorrent.

Igitur non est, quòd Caramuel dubitet de invaliditate talis Matrimonij, propter dictum decretum Consiliariorum Regis Hiberniæ. Sed nunquid dubitat? Ibidem n. 545. Hanc statuit tertiam conclusionem: Matrimonium in primo gradu rectæ lineæ (putà patris & filiæ, filij & matris) irritum jure naturæ docent Omnes. Et statim subjungit: Subscribo, ne singularis videar, licet non reperiam rationem, quæ persuadeat esse hoc impedimentum naturale. Si contingat Auctores reperiri, qui negent, illis me adnumera, aliàs in sententia communi remaneamus, dicentes esse contrà naturæ jus, licet lumine naturæ consule, non videatur habere aliquam repugnantiam. Meliùs est enim intellectum in doctrinæ communis

79. An ex hac Historia rectè inferatur, ergò irritum jure natura.

80. Ostenditur quòd non.

81. Parum curandum de judicio istorum Hibernorum.

Quid sentiat Caramuel de invaliditate talis Matr.



obsequium captivare, quàm aperire novam viam in materia gravissima.

Sed statim Caramuelis scrupulum demiraris, quem scis non turbari, cum solus vias novas frequentissimè ingreditur, & maximè in hoc opere, quod totum novæ viæ aperiendæ & firmandæ conscribitur.

82.  
Dicit se  
nescire, an  
sit invalidum  
jure  
naturæ.

Et respondeo: pusillanimum esse, qui in scientiis naturalibus claras notitias proprias alienis conjecturis postponit. Et quia multæ quæstiones in Theologia sunt, quæ mores non tangunt, etiam pusillanimum illum, quem aliena auctoritas moretur contrà rationes solidas. At ubi de Sacramentorum valore, & conscientiæ securitate agitur, non tam liberè procedendum est. Estò nesciam, cur Matrimonia patris & filię, filij & matris, debeant credi irrita jure naturæ, estò rationes fortes videantur mihi contrarium persuadere; facilius est unum quàm omnes Doctores errare; ideoque prudenter, ut opinor, doctrinæ communi subscribam, quamdiu non nisi solus ab illa discedere possim; quod si repertiam comites sufficientes, ut contraria sententia evadat authenticè probabilis, si illis adnumerer, dolerem: esset in causâ timor meus, quòd illa probabilitate careret, ac idèd illicò eisdem subscriberem. Hactenus Caramuel.

83.  
Ostenditur  
Historiam,  
in aliquo  
perperam  
relatam  
fuisse.

Legi ego historiam B. Dympræ apud Surium, sed nullas invenio circumstantias dignissimas ponderatione, faventes huic sententiæ; & idèd benè fecit Caramuel, eas omittendo. Uti nam & hanc omisisset: *Et in patriam rediit, cum constans remaneret, ultimâ sententiâ condemnatur.* Nam ex ipsa historia citata liquiddò constat, eam nunquam in patriam rediisse; sed in loco, ubi modo requiescit corpus ejus, scilicet in pago dicto Geele, à proprio patre decollatam fuisse.

A patre, inquam, qui erat magnus Idololatra, ita ut etiam promitteret filiæ suæ, si vellet consentire in Matrimonium, eam tamquam Deam honorandam. Et non est dubium, quin consiliarij ejus, saltem pro majori parte, eadem permississimâ lue infecti fuerint; ac proinde eorum Decretum, sanè insolentissimum, nulli Christiano justam potest præbere occasionem dubitandi de opposita veritate. Si ergò Caramuel dubitavit, aut certè anxius fuit, propter illam historiam, potest & debet eam anxietatem deponere; quia orta ex levissima, & solum apparenti causa.

84.  
Caramuel  
conatur  
satisfacere  
arg. San-  
ctij.

Sed nunquid propter hanc solam historiam anxius fuit? Videtur quòd non: quippè n. 539. conatur solvere argumentum Sanchij & aliorum pro communi doctrina sup. adductum, dicens: Ratio, quâ communiter talia Matrimonia condemnantur, hæc est: Natura postulat filios subjici patri, marito uxorem; atqui si non vitaretur consanguinitas, leges hujusmodi temerarentur; ergò consanguinitas debet in Matrimonij evitari. Minorem probant; quia si filius matrem duceret, temeraretur patria auctoritas; mater enim filio subesset; & si hæc maneret inviolata, non posset non temerari connubiale jus naturale, aut Divinum, subjiciens

foemina viri auctoritati.

Consultò, *Naturale aut Divinum*, disjunctivè ponitur; quia ex rei natura uxor non subest dominio viri, sed est condomina; ipsi servire non debet, sed condominium familiæ; subordinatè tamen, nempe secundum prudentiam, non propriam, sed mariti. In paradiso miserabiliter deliquit, & condemnata fuit divinitus subjectionis poenâ ab univerforum Domino, eam arbitrio & dominio mariti subjicienti. Fortia sunt illa verba Gen. 3. v. 16. *Multiplicabo arummas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios & sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui.* Ex hac enim condemnatione clarè colligitur, in innocentia statu maritum non fuisse foeminae dominaturum.

Sanè si hæc ratio admittatur, prout exponitur ab Adversariis, probabit non observari naturalium ordini Matrimonia contracta inter fratres, imò nec contractum inter patrem & filiam, quia tunc hæc esset subiecta duplici titulo (filiationis videlicet & Matrimonij) quia per tale Matrimonium non tolleretur debita subordinatio.

Præterea: qui historiam Adami & Evæ ignorant, aut non admittunt, si prudenter philosophentur, uxorem dominio mariti non subjicient, & si uxor non sit marito subdita, cur non poterit eadem esse & conjux & mater? Ita ille interrogat.

Respondeo: quia ut mater est superior, & ut conjux ad summum æqualis. Et consimiliter nequit eadem esse filia, & conjux; quia ut filia est inferior sive subdita, & ut conjux est æqualis.

Pergit Caramuel: Sed estò, sit uxor suo marito subdita jure naturæ, & status ipsius, ingenio postulante; an repugnat eandem personam respectu ejusdem preponi, & postponi, jubere & obedire, dominari & servire in diversis generibus. Si filius ad Reipub. fastigiū evectus & Princeps factus patrem habeat, illi suberit in ordine cognitionis, præerit in ordine civili: ergò similiter, si filius matrem duceret, ipsi præesset in ordine connubialis, subesset in ordine patriæ auctoritatis.

Nec proderit dicere; utramque auctoritatem (patriam & connubialem) consanguinitatis esse; quia etiam utraq; illa auctoritas (nempe patriæ & politica) moralis est: & nihilominus compatiuntur in eodem subiecto. Ergò sicut sub eodem genere physico non opponuntur album & non dulce, neque dulce & non album: sic etiam nec opponi poterunt præeminentia patriæ, & non præeminentia connubialis, aut connubialis præeminentia & carentia præeminentiæ patriæ. Hucusque Caramuel.

Respondetur: auctoritatem Principis sæcularis (& idem est de auctoritate Principis Ecclesiastici, v. g. Episcopi) publicam esse, ratione cujus præcellit omnes alias privatas personas, etiam patrem & matrem, estò alioquin privata auctoritate sit eis inferior, quòd nullatenus repugnat, cum sint auctoritates planè diversæ rationis, utpotè concernentes diversum omnindò regimen,

85.  
Quomodo  
uxor subdit  
viro.

Gen. 3.

86.

Cur eadem  
mulier non  
possit esse  
conjux &  
mater.

87.

Id fieri posse  
probat  
Caramuel.

Evasonem  
precludit.

88.

Resp. Au-  
toris, eum-  
dem posse es-  
se auctori-  
tate publicâ  
superiorem,  
& privatâ  
subditum.







*Quilibet ascendens est principium naturale & per se respectu descendens. Dicastillo.*

turale & per se, quantumvis mediatum & remotum, respectu descendens remoti: quilibet enim ascendens mediatum eâ ratione est principium descendens remoti, quâ est principium sui proximi descendens, nam medio proximo descendente est aliorum: atque adeo sicuti proximi descendens est principium per se proximum, ita cæterorum est principium per se remotum. Ita Dicastillo sup.

Et prosequitur: In copula verò carnali ob ejus turpitudinem fit irreverentia principio naturali, & naturaliter superiori, cui debet inferior potius parere & submitti, quàm conjungi cum illo ad communem societatem procurandâ & educandâ proli. Ergò propter similem inordinationem credendum est, Deum non dedisse potestatem transferendi in alium dominium corporis sui, qui esset principium illius & principium per se.

*97. Resp. ad probationem Sanchez, ex Dicastillo.*

Neque ex hoc, quòd filius potuisset esse sine avo, ut patet in filiis Adami, colligere licet, avum esse principium per accidens nepotis: quia Petrus v. g. sub ratione nepotis tam essentialiter respicit avum, quàm patrem sub ratione filij; si verò consideretur tamquam quid absolutum, & quatenus est hic homo, secundum ordinem naturæ, tam impossibile fuit, eum esse sine generatione avi, quam sine generatione patris.

Quod si recurras ad potentiam supernaturalem, vel ad viam extraordinariam, quæ sit supra vires causæ creatæ, qualis fuit in creatione Adami, utrumque est æqualiter possibile. Sicut enim Seth potuit esse, & fuit sine avo, ita Adam potuit esse & fuit sine patre; atque adeo sicut hominem posse esse sine patre, saltem per Divinam & extraordinariam potentiam, non tollit quin pater sit causa per se, & principium immediatum filij; ita non tollit, quin avus etiam sit principium per se mediatum nepotis. Hæc ille. Et sic satisfactum est argumento Sanchez, & ejus confirmationi, ac permanet efficax prima probatio nostræ Conclus.

*98. Secunda probatio nostra conclus. ex Hiquæo.*

Secunda talis est: Canones (inquit Hiquæus n. 12.) qui interpretantur jus Divinum & naturale, vel saltem secundum illa statuunt, consanguinitatem extendebant olim usque ad septimum gradum inclusivè: ergò origo paterna extenditur ad septimum gradum saltem. Probatur Consequentia; quia in linea transversali non est ulla conjunctio personarum ad invicem in sanguine, quia nulla ab alia procedit, nisi ut uniuntur in stipite: ergò stipites etiam ratione originis conjungitur ad singulas personas usque ad septimum gradum: ergò ipsi manet jus salvum paternum usque ad illum gradum inclusivè in linea recta.

Tunc sic argumentor: sub lege Matrimonij non comprehenditur casus impossibilis: sed impossibile est, ut stipites sit idonea Matrimonio eum aliqua persona in septimo & octavo gradu naturaliter, quàmvis etiam ad illos extendatur origo: ergò casus hic est imaginarius practice, & non comprehensus lege Matrimonij, quæ se-

quitur cursum naturalem viatoris.

Reducendo itaque casum ad considerationem speculativam, quamdiu extenditur titulus juris paterni, tandiu etiam extenditur jus in ipso fundatum, & consequenter excluditur omne aliud jus repugnans ex lege; sed origo ex dictis extenditur ad septimum gradum, ultra quem non est possibilitas Matrimonij, quàmvis ipsa origo contrahatur eadem lineâ in posteros omnes; ergò sicut in primo & secundo gradu hoc jus inducit impedimentum Matrimonij, sic etiam inducit usque ad 3. & 4., & sic de cæteris. Quòd verò extendatur origo ad septimum gradum, patet ex ratione præmissa; quia alioquin inter laterales nullum foret motivum, unde Canones statuerent impedimentum consanguinitatis, nisi ratione originis, quæ lineâ rectâ descendit à stipite. Ita Hiquæus.

Sed, dicit aliquis, & est secundum fundamentum Adversariorum; cum ratio consanguinitatis sit participatio ejusdem sanguinis, communicata à virtute generante stipitis, & hæc eò debilior reddatur quòd in plures generationes protenditur, nequit in infinitum extendi; sed tandem extinguetur & deficiet. Ergò impossibile est in quacumque linea consanguinitatem in infinitum protrahi: ac subinde dicendum necessarium erit, impedimentum hoc consanguinitatis in recta linea certis finibus, attento jure naturæ, contineri. Ita Sanchez sup. n. 13.

Contra (inquit Hiquæus sup. n. 13.) hæc ratio nulla est: quia ex mente antiquorum Canonum perinde durebat usque ad gradum septimum: alioquin hoc impedimentum, quod plurimum gravabat, non inducerent Canones: alij autem posteriores, qui correxerunt in hac parte priores, reducens consanguinitatem ad quartum gradum, non idè id statuerunt, quòd originem in linea recta censerent non protendi ulterius; sed propter incommoda descendendum, & difficultatem incundi aliàs Matrimonij, in locis non adeo frequentis concursus populi.

Manet ergò origo usque ad quartum saltem gradum, secundum omnes Canones, tam priores, quàm posteriores, & in eo gradu sui vigoris & perfectionis, qui sufficiat statuere impedimentum hoc juris Canonici: ergò à fortiori manet in linea recta, etiam quoad jus naturale in ea fundatum.

Deinde; quòd dicatur virtus generativa debilitari in tertio, aut ulterioribus gradibus, nescio quid per hoc insinuare velint hi Doctores, nisi desumere velint argumentum physicum ex causa naturali, cujus virtus repatiendo per frequentes actiones debilitatur: sed nequit hæc doctrina applicari proposito: quia potius in primo gradu ex generatione plurium filiorum deberet sic debilitari, quàmvis ultimus filius perinde sit in primo gradu, sicut & primus filius, Benjamin sicut & Ruben.

Vel debet intelligi, quasi natura recepta per generationem deficeret in ulterioribus gradibus, & redderetur extranea primo parenti, aut ei, qui communicavit: sed neque hoc etiam rectè dicitur:

*99. Origo extenditur ad 7. gradum.*

*100. Objectio & 2. probatio sententia Sanchez.*

*101. Impugnatio ab Hiquæo.*

*Manet origo saltem usque ad 4. gradum.*

*102. Quomodo intelligendum, quòd virtus generativa debilitatur in tertio. Primus intellectus.*

*Secundus*



tur: quia etiam sic posset in ipso filio desinere per continuum fluxum; non ideo tamen desinit esse filius, quia à parente recepit esse, & in ultima resurrectione etiam non desinet esse filius.

103. Sufficit ergò ad salvandam seriem originis, quòd in virtute ejus, qui primo generavit, dando esse filio, per hunc recipiat nepos esse, & sic de cæteris: hoc autem salvatur quoad gradus omnes descendentes: ergò & ipsa origo, & jus in ea fundatum, juxtà mentem & interpretationem Canonum; & sicut filius est aliquid patris quoad naturam; ita etiam nepos nequit esse filij, quin sit patris quoad naturam, hoc est, avi, & sic de singulis ejus posteris; quia Benjamin decimatus est in lumbis Abraham. Exemplum potest esse in causis secundis, quarum effectus non solum est à Deo, quia ad ipsum immediate concurrunt; sed etiam est à Deo, quia ad ipsum mediate concurrunt, quò virtutem tribuit causæ secundæ, per quam agit in effectum. Hucusque præfatus Auctor.

104. Brevius & clarius respondet ad hoc argumentum Sanchij Dicastillo sup. n. 215. Quòd, inquit, participatio sanguinis sit magis remota, & eò minor, quò remotior est ascendens, parum aut nihil refert; neque enim attenditur præcisè sanguinis participatio, sicuti attenditur in linea transversali; sed attenditur ratio principij, quæ ex se postulat reverentiam & submissionem ex parte principij ergà principium; ac proinde etiam participatio sanguinis, & in eo sensu consanguinitas in remotissimo ascendente jam evanuerit, nihilominus semper reperitur ratio reverentiæ descendentiæ ergà ascendentem, sup. explicatam, contra quam fit per copulam, & Matrimonium ad illam ordinatum. Hæc ille.

105. Ego difficulter intelligo, quomodo evanuerit consanguinitas in remotissimo ascendente, cum semper descendentes aliquid naturæ participent ab ascendentibus proximis, & hi ab aliis, & sic tandem omnes habeant aliquid à primo ascendente usque ad Adamum ipsum; naturam enim, quam ab ipso acceperunt, aliis communicarunt.

Neque hoc negat Sanchez, sed disertè confitetur disp. 50. n. 1. ibi: Quamvis enim virtus primi parentis perseverat in omnibus descendenti- bus. at non perseverat secundum similitudinem individua, juxtà quam avus & parentes assimulant sibi prolem, quæ eorum imaginem, complexionisque ac morum effigiem refert.

106. Sed quæro ego; unde constat, quòd similitudo individua sit necessaria ad consanguinitatem, & non sufficiat similitudo specifica? Vide quæ sup. diximus de consanguinitate physica & morali. Profectò frequenter nulla aut saltem vix ulla est similitudo individua, juxtà quam filius referat imaginem, complexionisque ac morum effigiem patris aut avi; & tamen non propterea desinit esse verus filius, & verus consanguineus; atque adeò illa effigies complexionis & morum, parum aut nihil con-

ducit ad consanguinitatem. Quis enim nesciat, quempiam posse referre perfectiorem imaginem, complexionisque ac morum effigiem avi, proavi &c. quàm patris; immò perfectiorem imaginem alicujus hominis planè extranei?

Utut sit de hac similitudine, in ea non fundatur reverentia debita parentibus, aut superioritas eorum, ratione cujus, ut sup. vidimus, Matrimonium inter ascendentes & descendentes jure naturæ est invalidum. In quo ergò? In ratione originis sive principij immediati aut mediati, quæ utique ratio se extendit usque ad infinitum.

Hinc Jurisconsultus Cajus lib. 11. ad Edictum provinciale, & refertur l. 53. ff. de Rit. nupt. Nuptia consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum aliorumve sunt: sive proximi, sive ulterioris gradus sint usque ad infinitum.

Ubi Gloss. verb. Ad infinitum, inquit: Adeò, ut si Adam hodie viveret, nullam accipere posset, ut Inst. de Nuptiis, §. 1. aliàs 2. ubi hæc lego: Ergò non omnes nobis uxores ducere licet; nam à quarundam nuptiis abstinendum est; inter eas enim personas, quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, contrahi nuptia non possunt: veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & usque in infinitum. Et si tales persona inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Ergò jus civile docet nostram Conclusionem.

Respondet Sanchez sup. n. 13. solius juris Canonici est, inter fideles Matrimonij impedimenta decernere: nec quidquam confert prohibitio juris civilis, nisi expressè jure Canonico approbetur. At hæc prohibitio non est jure Canonico approbata, quin potius reprobata, cap. Non debet, de Consanguinitate, ubi consanguinitas ad quartum distinguitur gradum.

Planè restringitur ad quartum gradum, sed lineæ transversalis, secus lineæ rectæ. Sic enim loquitur Pontifex Innoc. 3. in Concil. General. cap. 50. ex quo dictum cap. desumptum est. Prohibitio quoque copula conjugalis quarum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.

Quæ profectò ratio nullatenus militat in gradibus lineæ rectæ, cum luce meridiana clarius sit, eam prohibitionem in quinto, sexto & ulterioribus gradibus lineæ rectæ sine ullo incommodo posse observari; quippe moraliter, sive secundum communem cursum naturæ, impossibile est, Matrimonium in eis contrahi.

Deinde: dictum jus corrigit priora, quæ extendebant impedimentum consanguinitatis ad septimum gradum; certum autem est, quòd hæc jura intelligenda sint de lineæ transversali; cum jura non attendant ad casus moraliter impossibiles, qualis est, ut statim dixi, quòd quis ducat filiam abnepotis: quotus enim quisque est, qui pronepotem videat patrem, nedum avum, & talem avum, qui neptem habeat nubilem, &

103. Quid sufficiat ad salvandam seriem originis.

104. Alia solutio arg. Sanchij, ex Dicastillo.

105. Virtus primi parentis perseverat in omnibus descendenti- bus.

Saltem secundum similitudinem specificam, ex Sanchez.

106. An requiratur similitudo individua.

107. In ea non fundatur reverentia debita parentibus.

L. 53. ff. de Rit. nupt.

Jus civile docet nostram Conclusionem.

108. Resp. Sanchez.

Rejicitur.

109. Iura, quæ restringunt consanguinitatem. loquuntur de lineæ transversali.



hanc sibi ab avo, vel potius tritavo vel atavo computatam? Igitur & dictum jus, *Non debet*, similiter intelligendum erit de linea transversali.

110. *Obiectio solvitur.*

Contra, inquis; dicta jura loquuntur generaliter, & non distinguunt; ergo nec nos debemus distinguere. Respondeo: nisi habeamus justam rationem distinguendi, quæ mox allegata fuit.

*Solutio non satisfaciunt Pontio.*

Sed hæc non satisfaciunt Pontio lib. 7. c. 31. n. 6. ubi sic scribit: Unde neque existimo, secluso jure positivo, esse culpam lethalem, contrahere in gradibus consanguinitatis rectæ lineæ, saltem ultrà secundum vel tertium gradum: nam jam deinceps non cernitur in illis gravis irreverentia, ex qua petenda tota ratio malitiæ.

Addo etiam: Pontifices atque Concilia in his, quæ citavimus, Decretis, universè statuisse, nullum esse impedimentum ultrà septimum gradum, vel ultrà quartum consanguinitatis. Quæ locutione universè statuitur ultrà illos gradus neque irritum, neque illicitum esse.

111. *Probat ad jura loqui etiam de linea recta.*

Quòd autem loquantur non tantum de gradibus lineæ transversalis, sed etiam rectæ, manifestè constat; quia cum statuatur, cum nullo de cognatione contrahendum esse conjugium, vel quousque se parentela cognoscit, inquiri, an tunc de omni linea intelligantur? Intelliguntur certè, aliàs deveniendum esset in quoddam absurdum; scilicet, si in illis Canonibus non est sermo de gradibus lineæ rectæ, cum variæ extiterint opinioniones de valore Matrimonij in gradibus rectæ lineæ infra secundum; posse validè, absque dispensatione ulla, iniri Matrimonium inter avum & neptem, vel proneptem, sequendo opinionem probabilem affirmantium valere. Igitur quando dicunt, tantum usque ad septimum vel quartum gradum extendi, universè de omnibus intelliguntur; siquidem non minus isti, quam illi consanguinei sunt. Hactenus Basilus.

*Probatio non placet.*

Respondeo: vel ex isto absurdo apparet major probabilitas nostræ sententiæ, scilicet, jure naturæ Matrimonium in quocumque gradu lineæ rectæ esse irritum; cum longè probabilius sit, dicta jura non esse intelligenda de gradibus lineæ rectæ, ut patet ex dictis.

112.

Atque ut loquerentur etiam de his gradibus; solum exinde sequitur, quòd vi juris positivi dirimatur Matrimonium in his gradibus, & non ultrà, secus quòd non dirimatur in his & ulterioribus gradibus vi juris naturalis. Nihil enim repugnat, aliquod Matrimonium esse irritum jure naturæ, & positiva constitutione Ecclesiæ.

*Quare Ecclesia non irritaverit Matr. in linea recta ultrà 7. gradum.*

Quare autem Ecclesia non irritaverit etiam in ulterioribus gradibus, cum, secundum nos, & in his irritum sit Matrimonium jure naturæ; ratio est; quia in ipsis Matrimonium est moraliter impossibile, & ideo reliquit eos dispositioni solius juris naturæ: quia tamen erat controversia de tali jure, & contingere posset, ut in secundo aut tertio gradu Matrimonium attentaretur, ideo de his disposuit, ut nulla foret controversia de ejus invaliditate. Itaque prohibitio juris civilis non est reprobata d. cap. *Non debet*. Quinimò jure Canonico approbatam esse, jam jam declarabimus.

Fateor, solius juris Canonici est, inter fideles Matrimonij impedimenta decernere, id est, de novo constituere; sed non est solius juris Canonici ostendere, quæ sint impedimenta juris naturæ, sed etiam id competit legi civili. Non ergo hæc obligatio sive irritatio in ulterioribus gradibus usque ad infinitum provenit ex d. lege 53. sed hæc lex significat, quid dicet jus naturæ; siquidem secundum instinctum legis naturalis & ipsius naturæ facta est. Unde non est nova constitutio, sed solummodo interpretatio juris naturalis.

113. *Solum jus Canonium de novo impedimenta instituit: etiam juri civili competit declarare impedimenta juris naturæ.*

Et hinc Alex. 2. cap. *Ad Sedem*, 35. q. 5. in computatione graduum consanguinitatis dicit, legem civilem esse veracem, & approbat dictum Imperatoris, ubi, determinato gradu sexto, subintulit: *Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur; namque ex his palam est intelligere, quemadmodum ultiores quoque gradus numerare debeamus; generata quippe persona gradum adjicit &c.* Hactenus Ius civile.

114. *Probat ex Alex. 2. cap. 2. 35. q. 5.*

Subinfert Pontifex contra asserentes, consanguinitatem terminari in sexto gradu: *Ecce, inquit, in his brevibus verbis aperte ostenditur, tales gradus, quales isti computant, non tantum ad sextum, verum etiam ultrà numerari debere &c.* Nec mirum, cum in præcedentibus ipse firmaverit Imperator, decimo etiam gradu consanguineos sibi inter se posse succedere &c.

Ergo (inquit Hiquæus sup. n. 17.) computatio consanguinitatis, quam admittit jus civile, recipitur per Canones: & quamvis Canones agant de consanguinitate in ordine ad Matrimonium, jus verò civile in ordine ad successionem & translationem hæreditatis; idem est titulus & fundamentum conservatæ originis & consanguinitatis, in quibus utrumque, jus fundatur. Hæc ille.

115. *Computatio consanguinitatis facta per jus civile recipitur per Canones.*

Et n. 18. confirmat jam dicta ex Calixto 1. Epist. 2. ad Episcopos Galliarum, in qua confirmat leges civiles & pœnas ab eis latas contra eos, qui in consanguinitate ineunt Matrimonium, id est, infamiæ, quæ est pœna legis civilis: *Conjunctiones, inquit, consanguineorum fieri prohibere, quando hæc & Divina & sæculi prohibent leges. Leges ergo Divina hoc agentes, & eos, qui ex eis procedunt, non solum ejiciunt, sed & maledictos appellant. Leges verò sæculi infames tales vocant, & ab hæreditate repellunt. Nos verò sequentes Patres nostros, & eorum vestigiis inherentes, infamiâ eos notamus, & infames esse censemus &c.* Eos autem consanguineos dicimus, quos Divina, & Imperatorum ac Romanorum atque Græcorum leges consanguineos appellant, & in hæreditate suscipiunt, nec repellere possunt. Ita refertur 35. q. 2. & 3. c. 2.

*Probat ex Calixto 1.*

Hic ergo expressè recipitur lex civilis de consanguinitate, & ejus serie; ac proinde retinetur per Canones: sed ex lege civili, ut constat, in tota linea recta manet origo, & impedimentum in ea fundatum; ergo &c.

Clarius id ipsum expressit Nicol. 1. ad Confult. Bulgarorum cap. 39. *De consanguinitate*, inquit, generationum exquiritis, ut quibus utique ex feminis jungi debeatis, liquido cognoscatis; verum col. 1. quod leges hinc sanciant, jam meminimus, & jam memorare

116. *Confirmatur ex Nicol. 1. col. 1.*



memorare summam opera pretium ducimus; aiunt enim: Ergo omnes nobis uxores ducere non licet, nam quarundam nuptiis abstinere debemus. Inter eas enim personas, quæ parentum liberorumque locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, aviam & nepotem, & usque in infinitum &c. Quibus, amabo, verbis evidentiùs potuisset hic Pontifex approbare jus civile? Igitur leges civiles & Canonice in hoc conveniunt.

117.  
Quare Canones restrinxerint consanguinitatem ad 7. gradum, ex Greg. Papa.

Et verò, quæ putas fuit ratio, propter quam antiqui Canones restrinxerint hoc impedimentum ad septimum gradum? Audi quid scribat Gregorius Papa Episcopis Galliarum, & refertur 35. q. 2. & 3. c. 16. Progeniem suam unumquemque, usque ad septimam decernimus observare generationem, & quamdiu se agnoscant affinitate propinquos, ad conjugalem copulam accedere denegamus. Quod si fecerint, separentur.

Et Nicol. 2.

Et Nicol. 2. Amalphantane Ecclesie Suffraganeis ( ut refertur ead. q. cap. 17. ) De Consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque post generationem septimam, vel quosque parentela cognosci poterit.

Hiquæus.

Ex quibus sequitur ( inquit Hiquæus sup. n. 19. ) & parentelam conservari post septimam generationem, & si Adam vixisset, nemini posse conjungi; quia parentela ejus notissima esset, & origo perseveraret, quod in aliis non posset ita commode cognosci & notari. Hæc ille.

118.  
Restrictio illa tantum concernit lineam transversalem.

Igitur hæc restrictio ad 7. gradum tantum concernit lineam transversalem, in qua ultra eum gradum vix est cognitio consanguinitatis. Atque de eadem tantum linea intelligitur, quod dicitur cap. Gaudemus, 8. de Divortis, Matrimonia quæ Gentiles in secundo gradu contraxerunt, iis postea conversis, non esse dissolvenda: loquitur enim Pontifex de Matrimoniis, quæ illæ Gentes solebant communiter contrahere. Inauditum autem est, quod unquam aut nepos cum avia, aut avus cum nepte contraxerit, quamvis alioqui non sit impossibile, ut avus quinquagenarius aut sexagenarius, habeat neptem nubilis ætatis, & avia quinquagenaria aut sexagenaria, habeat nepotem nubilis ætatis.

Arg. pro nostra Conclus.

Unde omitto hoc argumentum, quo aliqui probant nostram Conclus. putà: licet in gradibus remotioribus minor sit propinquitas sanguinis, ac proinde minor indecentia conjugij appareat, quam inter parentes & liberos; at est major inæqualitas ætatis, & consequenter major indecentia ratione illius; & proinde defectus ille propinquitatis compensatur inæqualitate hæc.

119.  
Resp. ex Pontio,

Ad quod utique argumentum ita respondet Pontius sup. Quòd sit inæqualitas major ætatis, ad prohibitionem naturalem investigandam, ridiculum est: pone enim à Deo per miraculum conservari. Adde; avum quinquagenarium & sexagenarium posse habere neptem & proneptem nubilis ætatis. Quòd autem sexagenarius nubat viginti annos habenti, quid obstat? Quot ejusmodi conjugia videmus iniri quotidie, sine culpa ulla? Ergo si aliud non obstat, ex

Bosco de Matrim. Pars II.

inæqualitate ætatis nec culpa venialis colligi potest, multò minùs esse irritum Matrimonium.

Unde neque existimo, secluso jure positivo, esse culpam lethalem contrahere in gradibus consanguinitatis rectæ lineæ, saltem ultra secundum & tertium gradum. Nam jam deinceps non cernitur in illis gravis irreverentia, ex quo petenda est tota ratio malitiæ, Ità Basilius.

Sed hoc est, quod quæritur; an in illis gravis irreverentia cernatur, & an ex illa irreverentia petenda sit tota ratio malitiæ. Quamvis autem gratis concederemus, majorem esse irreverentiam in primo gradu, quam in secundo, aut tertio, & aliis ulterioribus; haud equidem inde benè concluditur, in aliis gradibus levem dumtaxat esse; quia inter graves irreverentias una potest esse gravior altera.

Et dato etiam, quòd esset solùm levis, & per consequens levis dumtaxat malitia in illo Matrimonio, quid tum? Nonne malitia mendacii in se spectata, sive in genere suo, venialis solùm est, & tamen contra legem naturalem, in qua, secundum communem sententiam, nequidem Deus potest dispensare? Ergò ex eo, quòd solùm levis foret irreverentia in illis gradibus, non rectè infertur, Matrimonium non esse irritum; dummodò sit talis irreverentia, quæ nequit esse licita, nisi in casu extremæ indigentia, & per solam Dei expressam dispensationem.

Sed & hoc, inquis, quæritur, ac oppositum videtur dicere Doct. Angel. 2. 2. q. 154. a 9. ad 3. In commixtione personarum conjunctarum aliquid est, quod est secundum se indecens & repugnans naturali rationi; sicut quòd commixtio fiat inter parentes & filios, quorum est per se & immediata cognatio: nam filij naturaliter honorem debent parentibus. Vnde Philosophus dicit in 9. de Animalibus, quòd quidam equus, quia deceptus fuit, ut matri commiseretur, seipsum præcipitavit, quasi præ horrore, eoquod etiam animalibus aliquibus inest naturalis reverentia ad parentes. Alia verò persona, qua non junguntur secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam, sed variatur circa hoc decencia vel indecentia, secundum consuetudinem & legem humanam. Hæc D. Thomas.

In quibus verbis ( inquit Perez sup. sect. 4. n. 4. ) docet optimè sanctus Doctor in commixtione cognatorum primi gradus lineæ rectæ, nempe parentum & filiorum, se invenire manifestam indecentiam, videlicet indecentiam secundum se & repugnantem naturali rationi; at inter alios ulteriorum graduum, inter quos non est immediata conjunctio, non invenire indecentiam naturalem ac repugnantem omninò rectæ rationi naturali, sed eam variari secundum consuetudinem & legem humanam. Quare non erit inter illos ex natura rei impedimentum, jure naturali irritans Matrimonium. Hæc ille.

Verùm enim verò mihi videtur, D. Thom. loco citato non locutum de ulterioribus gradibus lineæ rectæ; cum nullum sit vestigium in jure sive civili, sive Canonico, aliquando fuisse factam

120.

Impugnans

121.

An Doct. Ang. aliam agnoscat irreverentiam in 1. gradu lineæ rectæ, quam in a.

Affirmat Perez.

122.

Negat Autor eum loqui de alie-



vioribus  
gradibus li-  
near recta.

etiam variationem in illis; sed neque per consuetudinem. De quibus ergo loquitur? De gradibus lineæ transversalis in quibus constat fuisse factam variationem per legem humanam.

Et reverà personæ conjunctæ in his gradibus, ipsæ sunt quæ conjunguntur per ordinem ad parentes, sive ad communem stirpem, & una non procedit ab alia, seu proximè, seu remotè; sed cùs personæ conjunctæ in gradibus lineæ rectæ, quæ conjunguntur omnes secundum seipsas, quàmvis una proximè altera. Igitur D. Thomas per parentes & filios intellexit omnes illos, qui obtinent locum parentum & filiorum, putà omnes ascendentes & descendentes in linea recta. Atque, ut D. Thom. fuisse in illa sententia, Scotus & innumeri alij oppositam docuerunt.

123.  
Diverſitas  
sententia-  
rum circa  
irritationem  
Matr. in li-  
nea recta.

Sed & inter illos, qui docent hanc irritationem certis finibus seu gradibus contineri, magna est dissensio. Nam prima sententia dicit, durare hoc impedimentum, quàmvis durat amicitia & communicatio proprietatum individualium inter ascendentes & descendentes, nec constare quàmvis hæc durent.

Secunda sententia asserit, non excedere prohibitionem hanc vigesimum gradum: at non præfinit certum gradum. Tertia protendit eam usque ad 4. gradum. Quarta usque ad secundum, Quinta denique, cui tamquam probabiliori adhæret Sanchez sup. n. 19. sustinet, in solo gradu primo Matrimonium jure naturæ esse irritum. Ecce quanta varietas sententiarum.

124.  
Iudicium  
Austoris.

Ego si vellem recedere à Doct. Subtili, eligerem sententiam Sanchij; & consequenter dicerem, infideles licitè contrahere in secundo & ulterioribus gradibus, quando est aliqua causa justa, & per leges suas id Matrimonium non est irritatum aut prohibitum. Ac proinde conversos ad fidem non esse separandos.

Imò tamen illicite contraxissent, quia sine justa causa cohonestante; quid ni licitè possent uti tali Matrimonio? Nonne usus ille satis cohonestatur per ipsum contractum, qui ex justitia obligat ad redditionem debiti? Tu cogita. Atque hæc satis de linea recta. Expectat calamum nostrum linea transversalis, pro qua instituitur.

## CONCLUSIO II.

Lineæ transversalis nequidem primus gradus Matrimonium irritat jure naturæ.

125.  
Gradus pro-  
hibiti olim  
à Deo, Levit.  
18.

Incipio hanc Conclusionem à Scriptura sacra Levit. 18. v. 6. & sequentibus: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudinem enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filia filij tui, vel neptis ex filia non revelabis, quia turpido tua est. Turpi-*

*itudinem filia uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eò quod caro sit matris tuæ. Turpitudinem patris tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem matris tuæ non revelabis, quia uxor filij tui est, nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpido fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ & filia ejus non revelabis. Filiam filij ejus, & filiam filia illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente.*

Ecce gradus Levit. 18. interdicti, partim lineæ rectæ, partim lineæ transversæ, aliqui consanguinitatis, alij affinitatis. Quæstio jam est, an hi omnes obligent in lege nova, si non ex eo quod in veteri lege interdicti fuerint, nam lex vetus jam cessavit, secundum omnes Catholicos, sicutem ex jure naturæ, aut Divino positio ante legem veterem, vel in lege nova.

Potè quia in hoc opere defendendam suscipimus sententiam Doct. Subtilis, primò omnium audiamus & intelligamus, quid ipse de hac controversia doceat, & qualiter hanc quæstionem resolvat.

Igitur 4. dist. 40. q. un. scribit in hæc verba: *Sententia Fortè etiam post multiplicationem humani generis, si Scoti de hac stetit in innocentia, fuisset prohibitio in quibusdam gradibus ultra primum ( loquitur de quibusdam gradibus lineæ transversalis, ut patet ex verbis sequentibus ) sed in principio non potuit fieri; quia non erant alia femina, quàm sorores.*

Ergò, secundum Scorum, in statu innocentia, post sufficientem multiplicationem hominum, fortè fuissent prohibita Matrimonia inter fratres & sorores, ac quosdam alios collaterales.

Quod satis probabile est ( inquit Hiquæus sup. n. 22. ) quia natura ad hoc inclinat & re-  
cta ratio. Unde Divinà lege in Levitico fuerunt aliqua prohibita, & instinctu naturali Gentiles, in quibus magis viguit dictamen rectum, & politia, ex tali dictamine talia connubia ut prohibita respuerunt: in statu autem Innocentia non deficeret talis rectè dirigens Matrimonij contractum, juxta decentiam & inclinationem ipsius naturæ; ideoque rectè rejicit Doctor, talem prohibitionem fore in illo statu. Hæc ille.

Dicitur: *Conjicit*; quia asseveranter non docet, ut patet ex ly *Fortè*; & meritò, quippe cùm talia Matrimonia non habeant intrinsecam omninò indecentiam & repugnantiam cum recta ratione, ut statim latius dicitur, potuit occurrere sufficientissima ratio, talia Matrimonia permittendi seu non prohibendi pro illo statu, ut consideranti patebit, qui status cùm fuerit, & amplius non sit, nec unquam erit, non lubet de hac re diffusius disputare.

Quod attinet status veteris & novæ legis, de iis Scotus sup. sic ait: *In lege Mosaicà erat prohibitio*

126.  
An hodie  
adhuc om-  
nes obligent

127.  
In statu in-  
nocentia, se-  
cundum ip-  
sum, fortè  
habita Matr.  
inter fratres  
& sorores.  
Hiquæus.

Quare di-  
cat Scotus,  
Fortè.

128.  
Quid Sto-  
hibito



vus docent  
de statu ve-  
teris & no-  
ve legis.

hibitio quantum ad quosdam gradus ultiores, ut patet Levit. 18. In lege autem Evangelica fuit aliquando prohibitio usque ad 7. gradum. Patet per Magistrum in litera, sed sub Innocentio 3. restricta est usque ad quartum gradum inclusivè, extra de Consang. Non debet: Prohibitio copulæ quartum consanguinitatis gradum non excedat.

Et assignat rationem, Quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari, & post approbat & ratificat pro futuro: Cum ergo, inquit, jam usque ad quartum gradum prohibitio copulæ conjugalis sit restricta, scilicet per nos hic in Concilio. Et infra: Eam ita volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis, vel à nobis.

Et in eodem cap. revocat omnes prohibitiones de conjugio contrahendo in secundo & tertio genere affinitatis, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri prioris non copulanda: quæ prohibitiones multas difficultates inducebant, & (ut dicit) aliquando periculum animarum. Ita Scotus.

129.  
Vnde fiat  
quod pro-  
pinqvitas  
aliqua diri-  
mat Matr.  
ex eod.

Et continuo interrogat: Sed unde est, quod propinqvitas talis vel talis simpliciter impedit? id est impedit & dirimat. Respondet: In lege Evangelica non invenitur à Christo alia prohibitio ultra prohibitionem legis naturæ: nec etiam explicite confirmavit prohibitionem, super hoc factam in lege Mosaica: sed Ecclesia illegitimavit personas aliquando in gradu remotiori, postea in quarto gradu. Et ratio illegitimationis fuit, propter pacem & amicitiam servandam in Ecclesia: usque enim ad quartum gradum (in linea transversali) manet amicitia ratione consanguinitatis: & ex tunc incipiunt esse quasi extranei & amore contempserunt: & ideo congruum est, tunc per vinculum conjugale tepescerent amicitiam revocare. Hactenus Doct. Subtilis.

130.  
In linea  
transversali  
provenit ex  
jure Eccl-  
siastico.

Ubi satis manifestè declarat suam mentem circa iritationem Matrimonij in linea transversali, videlicet eam provenire à solo jure Ecclesiastico; quàmvis fortè in aliquibus gradibus sit aliqua indecentia naturalis, propter quam Ecclesia illam iritationem constituit. Cumque non distinguat inter primum, & alios gradus, neque nos volumus distinguere; tamen multi sunt, qui distinguunt, inter quos Sanchez sup. disp. 52. n. 11. dicens: Tertia sententia (cui tamquam probabiliori adhaereo) affirmat, in solo primo gradu lineæ transversalæ, ut inter fratres & sorores, esse interdictum & irritum jure naturæ Matrimonium.

Sanchez  
putat in 1.  
gradu esse  
irritum jure  
naturæ.

Probat,  
ex c. 8. de  
Divort.

Probat, inquit, prior pars, nempe in primo gradu esse irritum: quia Innoc. 3. cap. Gaudemus, 8. de Divortis, decernit, infideles conversos ad fidem non separandos esse à Matrimonio, tempore infidelitatis inito in secundo, & aliis ulterioribus consanguinitatis gradibus, quod legibus Ecclesiæ non arctentur. Ergo à contrario sensu, quando sunt conjuncti in primo gradu, censet Pontifex separandos esse: quod hic gradus jure naturali Matrimonium irritet.

131.

Hunc textum ita fortè ad hanc partem

probandam, existimavit Scotus, ut eo ductus 4. dist. 40. q. un. a. 4. vel, Verumtamen, damnaverit contrariam sententiam tamquam erroneam. Sed est valdè probabilis. Et hic textus parùm probat hanc sententiam. Ita Sanchez.

Describamus verba textus: *Vtrum Paganæ uxores accipientes in secundo, vel tertio, vel ulteriore gradu sibi conjunctas, sic conjuncti debeant post conversionem suam in simul remanere, vel ab invicem separari, edoceri per scriptum Apostolicum postulasti. Super quo taliter respondemus, quod cum Sacramentum conjugij apud fideles & infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus dicens: Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc consentit habitare cum eo, non illam dimittat: & in præmissis gradibus à Paganis quoad eos Matrimonium licite sit contractum, qui constitutionibus Canonis non arctantur (quid enim ad nos, secundum Apostolum eundem, de his quæ foris sunt judicare) in favorem præsertim Christianæ Religionis & fidei, à cujus perceptione per uxores se deserti timentes viri possunt facile revocari, fideles hujusmodi matrimonialiter copulari libere possunt, & licite remanere conjuncti, cum per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.* Ita Innoc. rescribit Tiberiadeni Episcopo.

Oppositum  
existimat  
Scotus erro-  
neum; Sed  
fallitur.

Verba d. c.  
8.

In quibus utique verbis declaravit, quod certum erat, & de quo fuerat interrogatus, relinquens primum gradum, qui sub judice est, num jure naturæ Matrimonium dirimat, & de quo non fuerat interrogatus. Et ideo hic textus, ut sup. bene dicebat Sanchez, parùm probatum, quia argumentum à contrario sensu in jure sive Canonico, sive civili rarè efficax est, sæpiùsque fallit; tum, quod rescripta Pontificum, quàmvis subinde generalibus verbis expressa, tamen non generaliter sint intelligenda, sed restrictè ad ea, de quibus Pontifex fuerat interrogatus.

132.  
Expenditur.

In quo adverto aliquam differentiam inter hæc rescripta, & ea Decreta Pontificum, quæ absque ulla prævia alicujus interrogatione tam quoad mores, quàm res fidei, in Conciliis Generalibus definiuntur, ac universali Ecclesiæ observanda proponuntur.

133.  
Differentia  
aliqua inter  
rescripta  
Pontificum,  
& alia De-  
creta gene-  
ralia.

Unde non omninò approbo simile, quod sup. adducit Sanchez. Sicut, inquit, ex eo quod Tridentinum sess. 14. de Matr. (debet esse de Pœnitentia) can. 7. definivit, circumstantias mutantem speciem esse necessariò confitendas, non sumitur efficax argumentum ad probandum eas, quæ non mutant, sed intrà eandem speciem notabiliter aggravant, non esse necessariò in Confessione explicandas. Hæc ille.

Ego autem dico: tamen ex eo efficax argumentum sumeretur; nam alioquin Concilium dedisset occasionem fidelibus errandi circa necessariò confitenda; quippè cum ibi tradat doctrinam generalè de iis, quæ exprimenda sunt in Confessione, possent prudenter cogitare fideles, se satisfacere præcepto confessionis, exprimendo ea, quæ Conciliū dicit exprimenda; quàmvis, in quâ

134.  
Arg. de-  
sumptum ex  
d. c. 8. non  
est efficax.



concederemus, haud equidem propterea in casu proposito argumentum à contrario sensu foret efficax: quoniam Pontifex in d. cap. *Gaudemus*, non tradit doctrinam generalem, in quibus gradibus consanguinitatis Matrimonia sunt invalida, sed tantum responderet ad interrogationem cuiusdam Episcopi de Matrimoniis contractis à Paganis in secundo & ulterioribus gradibus; ideoque non datur occasio fidelibus errandi circa primum gradum, contrahendo scilicet in eo Matrimonium, ex hoc quod Pontifex non dicat, in tali gradu Matrimonium esse invalidum; quia, ut dictum est, de tali gradu non fuerat ab Episcopo illo interrogatus; credo, quia etiam Gentiles non solent in eo gradu contrahere, secus in secundo & ulterioribus.

Quid autem respondisset Pontifex, si etiam de primo fuisset interrogatus, quis consiliarius ejus fuit? Fortè separandos dixisset, qui in illo gradu contraxerant, fortè non separandos; quia probabile est, quod Matrimonium valeat, & etiam probabile est, quod non valeat. Sed quod non valeat, non probatur efficaciter ex d. cap. *Gaudemus*, ut jam satis ostensum fuit.

135. *Alia probatio ex Sanchez. Arist. D. Aug.* Aliter ergo probat suam sententiam Sanchez sup. Quia Aristoteles 2. Polit. c. 2. solo naturali lumine ductus, turpissimam censet, conjunctionem parentum cum filiis, & fratrum cum fororibus; & D. Aug. lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. & lib. 22. contra Faustum cap. 35. censet Matrimonia inter fratres & sorores solo mundi exordio licuisse, necessitate generis humani propagandi compellente: & Tertullianus in Apologetico c. 6. & Theodoretus lib. de Legibus, consuetudinem quarundam barbararum nationum, conjugia hæc permittentem, tanquam perversam, & legi naturali adversantem, impugnant. Hæc ille.

136. *Non videtur Pontio esse primo. Secundo.* Sed neque hæc probatio Pontio sup. c. 32. n. 11. videtur efficax. Nam, inquit, ex eo efficitur tantum, illicitum illud quidem conjugium jure naturali, sine magna causa: attamen non video, unde colligatur esse irritum.

Adde etiam; non minorem, imò, quantum ego judico, majorem, aut saltem æquè gravem turpitudinem cerni in eo, quod idem duas sorores ducat uxores, aut duo fratres eidem uxori copulentur, utroque consummato Matrimonio. Quis id neget? Et tamen dispensari in eo posse, & jure naturali valere Matrimonium, nullus Catholicus ambigit.

137. *Tertio.* Æquè gravis, imò gravior turpitudine cernitur in eo, quod quis novercam aut privignam ducat uxorem, vel relictam avunculi: & tamen solo Ecclesiastico impedimento ea conjugia dirimuntur. Item non minor turpitudine relucet, quod Matrimonium infidelium consummatum dissolvi possit, & uterque cum altera consummare, conjuge superstiti; & tamen auctoritate Pontificis fieri posse, non pauci docuerunt. Non ergo ratio ex turpitudine desumpta vires habet.

138. *Quarto.* Adde: multò minorem eam turpitudinem esse, si Matrimonium esset inter fratres non u-

terinos; sed tantum ex eodem patre, non matre, quales erant Sara & Abraham, Ammon & Thamar. Ita Basilus.

Sed inquiri ego: copula carnalis inter fratrem, & sororem, est illicita jure naturali, seu eo jure, quo est illicita copula carnalis inter patrem, & filiam? Sanchez sup. n. 7. sic ait: Id valde observandum est, Matrimonia in illis gradibus Levit. 18. vetitis inita, licet non sint adversa juri naturali primævo & irritanti; adversari tamen juri naturali secundario, quatenus nudè ac secundum se considerata, & pro libito privatorum inita, sine peculiaribus circumstantiis cohonestantibus, indecentiam quamdam naturalem continent. Quod natura dicitur, reverentiam quamdam consanguineis in illis gradibus conjunctis deberi, cum qua pugnat copula conjugalitatis. Quare Gentiles peccabant, indifferenter & absque delectu & causa contrahentes ea Matrimonia.

Et hanc partem probant textus, & rationes adducti, n. 5. & ita intelligendi sunt Sancti, dicentes, hæc Matrimonia esse jure naturali interdita. Sicut D. Ambrosius Epist. 66. ad Paternum dicit, illicitum esse jure naturæ, ut patruus ducat neptem, cum tamen is gradus non sit prohibitus in Levitico. Quare optimè Cajetanus d. cap. in Levitic. ad finem, ait, neque hæc Matrimonia esse suapte naturæ mala, quæ nullâ ratione licita sunt: neque indifferentia, quæ passim liceant; sed media inter hæc penitus mala, & indifferentia, utpotè quæ nudè sumpta culpam continent, secus ubi aliquâ justâ ratione cohonestantur. Hucusque Sanchez.

Et paucis interjectis, approbat doctrinam Pet. de Ledesma de Matr. q. 54. a. 3. diff. 4. conclus. 2. & q. 55. a. 4. circa primum statum afinitatis diff. 2. in explicatione 1. Conclus. dicens: Qui optimè addit utroque loco, cum aliquibus Theologis, quos tali nomine refert, non fore culpam lethalem, secluso jure humano, inire Matrimonia in gradibus lineæ transversæ, qui jure naturæ irritanti vetiti non sunt, etiam si nulla sit causa cohonestans.

Et ratio esse potest, quia ut hæc, quæ aliquam indecentiam naturalem nudè sumpta continent, cadant propriè sub præcepto, oportet, ut aliquâ lege humanâ sanciantur. Atque ideo eâ seclusâ, contravenire absque omni prorsus causâ, non excedet culpam venialem aliqualis indecentiæ. Hæc ille.

Igitur in nostra sententia, quæ docet Matrimonium inter fratrem, & sororem, non esse vetitum jure naturæ irritante, ad summum erit veniale istud inire sine causâ cohonestante. Imò, dicit aliquis, nullum videtur esse peccatum contrahere in secundo & ulterioribus gradibus per d. cap. *Gaudemus*, ibi: *Et in præmissis gradibus à Paganis quoad eos Matrimonium licitè sit contractum.* Et infra: *Hujusmodi fideles Matrimonialiter copulari libere possint & licitè remanere conjuncti.* Quod autem licitè sit, nequidem veniale potest esse peccatum.

Quid ni idem dici possit de Matrimonio, quod

138. Sanchez admittit copulam inter fratrem & sororem continentem quamdam indecentiam naturalem.

De hac intelligit SS. Patres.

139. Approbat doctrinam Pet. de Ledesma.

140. Probat Matr. inter eos solam esse venialem seclusâ lege positivâ.

141.



An possit dici, nullum esse peccatum.

quod contrahitur in primo gradu inter fratrem & sororem, scilicet, continere aliqualem indecentiam, non tamen prohibitam per jus naturale; sed sufficientem, ut per jus humanum prohibeatur? Multa siquidem licent, quæ tamen non expediunt, ut fiant.

Affirmat Dicast.

Ita docet Dicastillo disp. 7. n. 227. ubi sic ait: Præcipua ratio (quare Matrimonium inter fratres & sorores non sit irritum jure naturæ) est; quia nullo sufficienti fundamento ostendi potest, ex natura rei seu jure naturali debitam esse tantam reverentiam consanguineis, qui non sunt ascendentes, & naturaliter superiores; atque adeo non est, cur dicamus, in copula inter ipsos irreverentiam reperiri ex natura rei, & eorum Matrimonium, ad eum ordinatum, ex natura rei nullum, imò & esse illicitum, quamvis reverà tanta sanguinis conjunctio sit in primo gradu, ut negari non possit, esse magnam indecentiam prædictos copulari, atque adeo Matrimonio jungi. Hinc est, ut omnes ferè Gentes jure positivo tale Matrimonium prohibuerint, & Summi Pontifices requisiti noluerint concedere dispensationem; quia nunquam fortè oblata est causa, ad dispensandum in lege prohibente tales nuptias, fundatà in tali & tanta indecentia. Hæc ille.

142. Approbat. ejus Doctrina.

Et meritò; quippè si reverà copula inter illos ex natura rei est prohibita, sicuti est prohibita inter patrem & filiam, matrem & filium, consequenter dici deberet, etiam esse ex natura rei irritum. Si enim ex natura rei est validum, ex natura rei dat jus ad copulam; non datur autem ex natura rei jus obligans ad actum ex natura rei illicitum, etiam solum venialiter; quia implicat aliquem obligari ad malum, sic enim obligaretur, & non obligaretur; in casu proposito obligaretur reddere debitum, & obligaretur non reddere, quia reddendo peccaret: obligatur autem quisque ad non peccandum, ut clarum est, & ab Omnibus admissum. Igitur vel non valet Matrimonium jure naturæ inter fratrem & sororem, vel si valeat, jam ex natura rei redditio debiti non est illicita.

143. Objectio, ex Arriaga.

Dices: jure naturæ multa prohibentur, quæ non irritantur, v. g. vendere aliquid ullo modo carius, quàm valeat; non tamen idèo illa venditio est nulla. Similiter etiam lex naturalis prohibet Matrimonium post votum castitatis, & tamen non irritat. Ita argumentatur Arriaga tract. de Leg. disp. 23. n. 54.

Et n. 56. oppugnat, quod nonnulli ponunt, scilicet, legem irritare contractum, quando per eam non solum prohibetur contractus, sed etiam usus illius redditur illicitus; quia non potest intelligi obligatio valida ad actum illicitum.

144. An possit acquiri dominium aliquis rei absque licito ejus usu? Affirmat hic Autor.

Hæc ratio (inquit ille) nihil valet: nam per votum potest quis sibi facere illicitum omnem usum pallij v. g. & tamen non amittit dominium ejus; ergo etiam si lex prohibeat contractum & usum illius, non idèo inferre licet, non acquiri per illum actum verum dominium. Clariùs id ostendo, in materia justitiæ: nam Religiosus Societatis Iesu non professus, qui

est capax ad habendum dominium, etiam si ratione voti non possit licitè dominium acquirere, & illo uti; tamen validè illud acquirit. Ratio à priori est; quia potest aliquid validè acquiri intrà virtutem justitiæ, etiam si in alia virtute sit illicitum.

Unde ad argumentum dico: Nemo potest validè acquirere jus ad actum injustum: distinguo; Non potest in ea virtute acquirere jus, in qua actus est injustus, concedo: non potest in alia virtute, nego.

Explico: Si intrà materiam Religionis actus est malus, non poterit intrà eam virtutem acquirere jus ad talem actum; at optimè poterit in materia justitiæ acquirere jus ad actum malum in materia temperantiæ, aut Religionis. Hactenus Arriaga.

Ergo in casu nostro per contractum Matrimonij poterit quis acquirere jus ad copulam illicitam; quia illa copula non est illicita in materia justitiæ, sed pietatis seu reverentiæ debitæ consanguineis.

Enimverò sicut potest Legislator prohibere actum ipsum, non quidem contra virtutem justitiæ, faciendo illum irritum; sed intrà aliam virtutem; ita etiam potest eodem modo effectum illius actus prohibere, non intrà virtutem justitiæ, sed intrà virtutem religionis aut alterius diversæ: tunc autem, estò motivum prohibendi non solum reperitur in ipso actu, sed in effectu illius, & consequenter utrumque prohibeatur; non propterea sequitur, quòd actus irritetur; nam ad hoc deberet etiam effectus illicite fieri prohibitus intrà virtutem justitiæ; cujus optimum exemplum est, quod jam tetigimus ex Religioso Societatis Iesu non professio, cui prohibetur vi voti non solum acquirere dominium, sed etiam effectus seu usus illius, & tamen non propterea cassatur ea acceptatio dominij.

Confirmatur: nam qui votum habet castitatis, prohibetur accipere uxorem: non quia immediate votum adversetur valori contractus matrimonialis, sed propter ipsum Matrimonij usum; ubi locum habet: Propter quod unumquodque tale, & illud magis: si ergò Matrimonium sub voto prohibetur propter effectum Matrimonij; ergò à fortiori prohibetur ille effectus, & tamen non idèo irritatur Matrimonium. Ita Arriaga sup. n. 59.

Respondeo ad confirmationem: omninò Matrimonium sub voto prohibetur propter effectum Matrimonij, id est, propter usum, adeo, ut Matrimonium non sit per se prohibitum habenti votum, si non intendat eo uti, sed ante usum intrare Religionem, ut alibi diximus. Sed quid tum? Nunquid & usus illicitus, si contracto Matrimonio non intret Religionem? Et quomodo illicitus, cum, secundum Omnes, nisi intret Religionem, & in ea profiteatur, teneatur reddere debitum ex vi sui contractus?

Quamvis enim turpe sit, fidem Deo datam primò frangere; non tamen turpe est, fractam fidei, solvere illud, ad quod quis ex justitia

145. Et explicat.

146. Probatur à simili.

Confirmatur.

147. Resp. ad confirmationem.

Quia cum voto castitatis contractus potest reddere.



tia obligatur; cum vinculum justitiæ vinculum voti præcedat; idque quia Deus non vult sibi solvi votum cum injuria alterius, sive stante tali mutatione rerum & vinculo justitiæ.

Nonne posterior contractus venditionis cum traditione prævalet priori contractui, facto sine traditione rei? Planè. Nec obstat, quòd secundus contractus sit injustus; quia non continuatur illa injustitia, sed cessat, eò quòd prior contractus dissolvatur.

148.  
Aliud est,  
actum esse  
justum,  
aliud esse  
irritum;

Aliud ergò est, actum aliquem esse injustum, aliud verò esse nullum, ut patet in dicto exemplo: & similiter in venditione ultrà justum pretium: quia non obstante injustitiâ, potest actus fieri cum sufficienti voluntate ad valorem ejus, & postea conservari potest removendo injuriam, seu resarciendo injuriam factam, & idèd sola injustitia contrà legem prohibentem non sufficit irritare actum, licet sufficere possit talis lex, ad inducendam obligationem ad aliquam restitutionem faciendam. Sic lex taxans pretium rerum, licet prohibeat carius vendere, non potest dici irritans actum factum contrà illam prohibitionem; quia ut dixi, venditio valida est, cum obligatione restituendi excessum.

149.  
Est aliter  
injuria ne-  
queat resar-  
ciri.

Quid igitur, si non possit injustitia aliter resarciri, nisi annullando actum? Sed neque hoc semper sufficit; quia si quis contraxit Matrimonium cum una, contrà sponsonem alteri factam, injuriam priori fecit, quæ resarciri non potest, si Matrimonium subsequens validum sit, & tamen non propterea lex prohibens tale Matrimonium, irritat illud: nam per accidens est, quòd injuria nequeat resarciri, & effectus talis Matrimonij seu usus non permanet turpis aut malus; quamvis turpe fuerit & malum, se ad istum effectum seu usum obligare. Igitur Matrimonium jure naturæ potest esse illicitum, quamvis alioqui validum.

150.  
Matr. po-  
test esse il-  
licitum jure  
positivo, ta-  
men non in-  
validum.

Similiter potest esse illicitum jure positivo, & tamen non invalidum, ut patet in omnibus impedimentis jure Ecclesiastico merè prohibentibus, v. g. in interdicto Ecclesiæ, quòd prohibet Matrimonium sine irritatione; quia vinculum permanens, seu Matrimonium in facto esse, non est ita contrà interdictum Ecclesiæ, sicut in fieri; & idèd, qui contraxit Matrimonium, potest licitè eo uti, petendo & reddendo debitum. Similiter lex prohibens Matrimonium inter cognatos ex solo Catechismo, prohibet actum, & non impedit effectum, etiamsi ille modus cognationis semper duret inter conjuges; quia lex humana solum reputavit illam, ut aliqualem indecentiam ad contrahendum de novo, non autem ad permanendum in Matrimonio semel contracto.

151.  
Matr. potest  
esse illicitum  
jure natura-  
li, est usus  
sit licitus,  
& vice ver-  
sà.

Fateor quoque, Matrimonium posse esse illicitum jure naturali, tamen si ejus usus sit ex omni parte honestus & licitus; v. g. si quis novisset non contrahere Matrimonium, illicitè contrà jus naturale voti contraheret Matrimonium; equidem Matrimonio contracto, potest licitè petere & reddere debitum, Et è converso fieri posset, ut Matrimonium liceret, quamvis

ejus usus foret contrà jus naturale, aut positivum, v. g. si qui conjuges ab initio Matrimonij jus proximum usûs corporis separent ab ejus dominio per pactum vel votum ex mutuo consensu ut validè & licitè fieri posse, docuimus Sect. 3. præced. disp. Conclus. 9. Quòd solum, & aliud nihil, probat exemplum Arriagæ sup: de eo, qui per votum sibi faceret illicitum omnem usum pallij, qui tamen propterea non amittit dominium ejus.

Aliud exemplum de Religioso Societatis Iesu, obscurius est, quam præcedens; quia per votum suum non reddit sibi illicitam omnem acquisitionem dominij, & omnem usum ejus, sed tantum acquisitionem dominij & ejus usum, independentè à voluntate Superioris; quid ergò miramur, si acceptatio valeat? Nonne quia valet, idèd obligatur ad actum aliquem illicitum? Plusquam meridianum est, quòd non. Et nonne ipse licitè potest uti illo dominio, dependentè à voluntate Superioris? Nemo ambigit.

Resp. ad  
exemplum  
Religiosi So-  
cietatis Ie-  
su.

Igitur ad casum propositum de Matrimonio, inter fratrem, & sororem, ratione cujus hæc latius dicta sunt, nihil refert istud exemplum, uti nec alia superius adducta, ex hypothese, quòd usus Matrimonij contracti inter fratrem & sororem maneat semper illicitus, vel saltem venialiter, quia sic foret obligatio ad actum illicitum; illicitum, inquam, non ex causa aliqua extrinseca, & voluntaria, quæ facile auferri possit per ipsos conjuges, aut eorum Superiores, uti est pactum mutuum, votum &c. sed ex natura rei, quæ per nullum hominem possit immutari.

152.  
Malè appli-  
catur Matr.  
inter fra-  
trem & so-  
rorem.

Alioqui, si dixeris; contracto Matrimonio obligationem justitiæ prævalere obligationi pietatis & reverentiæ debitæ fratri, & sorori, ita ut jam non sit irreverentia copulari, sicut fuisset ante Matrimonium; eò modo, quo prævalet obligatio justitiæ ex contracto Matrimonio obligationi fidelitatis ex voto antèd emissio; ita ut copulari jam non sit peccatum infidelitatis, sicut fuisset ante contractum Matrimonium; lumbens admitto, Matrimonium inter fratrem & sororem, quamvis illicitum, validum tamen esse.

Sed enim, dicit aliquis; hic etiam nulla erit obligatio ad actum illicitum; nam jus proximum ad usum ab initio Matrimonij separatim fuit à dominio per legem naturalem reverentiæ debitæ consanguineis; adeoque sibi imputent, qui sic contraxerunt, quòd nec petere, nec reddere possint, & videntur in eo consensisse: sicuti, quando uterque contrahens habet votum castitatis, neuter potest petere aut reddere debitum, donec cum altero, aut utroque dispensetur. Ergò similiter in casu proposito neuter posset petere aut reddere debitum, donec & usque talis occurreret circumstantia, quæ cohonestaret copulam, abstergendo ab eo omnem aliàs irreverentiam.

153.  
Objeçto.

Videò sic posse responderi; interim Multi docent, ut suo loco videbimus, petenti debitum

154.  
Solvitur.

cum



cum voto castitatis, esse reddendum. Deinde : disparitas jam est assignata ; scilicet , facile posse obtineri dispensationem in voto castitatis, contracto jam Matrimonio, & impedimentum planè esse extrinsecum, quod non alio modo impedit copulam, quam quemlibet alium actum aut omissionem actus Deo promissam, v. g. non vendere, non donare &c. At verò reverentia debita consanguineis in primo gradu, etiam lateris transversalis, est impedimentum ex natura rei, & quasi intrinsecum illis personis, quod in rarissimo casu tolli potest; veluti impedimentum consanguinitatis, quod est inter patrem & filiam.

Igitur si hoc jure naturæ dirimat ; quia non censetur Deus dedisse potestatem hominibus transferendi dominium corporis ad usum, qui non potest esse licitus, nisi in extrema necessitate, vel ex speciali dispensatione Dei ; quid ni similitè istud impedimentum dirimat, si verum est, quòd usus talis Matrimonij non possit esse licitus, nisi in gravi necessitate, vel ex speciali dispensatione Dei ?

155. Dices : etiam Pontifex potest dispensare. Sed undè hoc constat. Non legitur unquam dispensasse, sive ex defectu causæ sufficientis, sive ex defectu potestatis. Quòd autem potius ex defectu causæ, quàm potestatis, unde probatur ? Vel si ex defectu causæ tantum, jam liquet rarissimè usum hujusmodi Matrimonij posse esse licitum ; cum hæcenus talis causa non occurreret, & verisimiliter nunquam occurreret.

156. Et, amabo, quæ hic justa causa ? Unam assignat Pontius sup. n. 14. Justa, inquit, mihi causa videretur, ut, quod exempli causa dictum sit, si Hispaniarum Princeps, cum ex una parte digna tantâ Regiâ Majestate uxor non esset, nec sinè gravi inconvenienti, juxta prudentem æstimationem, etiam adhuc illam ducere non posset, & ex alia parte illæ, quæ pari conjugio copulari possent, essent aut hæresi infectæ, aut suspectæ, unde probabile periculum immineret, vel pervertendi Regis, vel inficiendi regni, quod non est difficile evenire ; posset certè justè dispensari, ut cum sorore nuberet, maximè si uterina non esset. Ita mihi videtur sub Sedis Apostolicæ judicio, quæ an adhuc in eo casu expediret, providè ut reliqua omnia & maturè consideraret. Hæc ille.

156. Sed quæro ego ; in dicto casu cessat per se irreverentia & malitia copulæ, vel non ? Si primum ; quid opus dispensatione Pontificis ? Si secundum ; jam Pontifex poterit dispensare in jure naturali. Et quare etiam non poterit dispensare, ut frater & soror, qui ignoranter contraxissent, idque validè, ut suppono, cur, inquam, non poterit dispensare, ut licitè utantur suo Matrimonio, ne alioquin toto tempore vitæ absque sua culpa debeant abstinere à copula, ad quam habent saltem remotum jus ? Si cum illis possit dispensare, cur non etiam cum his, qui scienter & illicitè contraxerunt ? Nonne dispensat cum illis, qui scienter & illicitè contraxerunt cum voto castitatis ? Non

Bosco de Matrim. Pars II.

est dubium. Ergò non valet argumentum à voto Castitatis ad consanguinitatem in primo gradu lineæ transversalis.

157. Ex quibus omnibus concludo, vel Matrimonium in hoc gradu esse irritum jure naturæ ; vel certè non esse illicitum jure naturæ, quàmvis indecens ; aut denique estò foret illicitus ipse contractus, tamen posito contractu valido, non esse illicitam saltem redditionem debiti, obligatione justitiæ abstergente omnem irreverentiam, seu prævalente obligatione reverentiæ debitæ consanguineis, etiam in tali gradu.

Quid ergò, inquit aliquis, ad D. Aug. quem citat Sanchez pro sua sententia, ut sup. vidimus ? Nonne adversatur nostræ Conclusioni ? Dicit quippè, Matrimonia inter fratres & sorores, etiam ante legem veterem, fuisse illicita : ergò illicita jure naturæ, ac proinde, secundum nos, invalida.

158. Audi Pontium sup. n. 4. Pro hac etiam sententia ( quæ docet, Matrimonium inter fratrem & sororem non esse irritum jure naturæ ) videntur stare Hieronymus, & Augustinus. Hieronymus in quæstionibus sive traditionibus in Genesim. Necdum quippè, inquit, inter patruos & fratrum filias nuptiæ fuerant lege prohibiti, quæ in primis hominibus etiam inter fratres & sorores imita sunt.

Et postea in cod. lib. Genesis 20. in illa : *Et enim verè soror mea est de patre, sed non ex matre. Id est, inquit, fratris ejus est etiam filia, non sororis. Sed quia in Hebræo habetur : Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & magis sonat quod soror Abrahæ fuerat, in excusationem ejus dicimus, necdum illo tempore tales nuptias lege prohibitas.* Hæc Hieronymus.

159. Nec verò repugnat Aug. lib. 15. de Civitate Dei c. 16. ubi cum de fratrum conjugii sermo esset, inquit : *Quod profectò quando est antiquius, nec Aug. compellente necessitate, tunc postea factum est damnabilius, religione prohibente.* Quibus indicat accessisse postea prohibitionem per legem scilicet Divinam, ut latius serperet genus humanum, pluribus necessitudinibus existentibus. Quæ prohibitionem securâ, rectè dicitur postea, nefas jam esse, idque contrariâ probatum consuetudine.

Unde circa medium capitis inquit : *Quod humano genere crescente & multiplicato, etiam inter impios Deorum multorum falsorumq. cultores, sic observari cernimus, ut etiam si perverfis legibus permittantur fraterna conjugia ; melior tamen consuetudo ipsam malitiam exhorret licentiam. Et cum sorores accipere in Matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, sic aversetur quasi nunquam licere potuerit. Ad humanum enim sensum vel alliciendum vel offendendum mos valet plurimum.*

Ecce legibus concessam licentiam nubendi dicit, quàmvis perverfas leges affirmet ; quia finè magna necessitate : quo ipso indicat, justâ existente causâ, fieri licitè posse. Etiam consuetudine id receptum dicit, atque aded prohibitionem non ab ipsa lege naturæ manasse. Ita Pontius.

A 2

Igitur







contrà jus naturale. Vel si in uno casu recurras ad speciale dispensationem Dei, etiam ad eam in altero casu poteris recurrere.

166.  
An in lege veteri fuerit Matr. inter fratrem & sororem irinum, ex Hiquæo.

Audite Hiquæum sup. n. 26. Cæterum videtur Doctor agnoscere, tantum esse prohibitionem quoad aliquos gradus, & non irrationem contractus; quia solum in linea recta admittit conjunctionem esse nullam, non in linea transversali, quantum est ex parte legis Divinæ: an autem in Iudæis specialiter irritans fuerit extrà casum, quo proximus sanguinis succedebat in Matrimonium, ad suscitandum semen fratri defuncto, & non aliàs, videtur ex pœnis, ibi adjunctis, fuisse aliàs irritum contractum in his gradibus; & hoc concesserim Cajetano, & aliis, fuisse speciale in lege veteri; quàmvis aliàs fuerit prohibitum in omni lege contrahere in illis gradibus, nisi quando necessitas, & majoris boni circumstantia urgebat, ut in Patriarchis ad propagandum populum fidelem, vel fortè etiam in Regibus, aut eorum filiis, ut comprehendamus Thamar, quæ ita suadere conabatur Ammon fratri, ut eam à Rege peteret, & non violaret per vim. Hæc ille.

167.  
Quando fuerit licitum contrahere in gradibus quibusdam prohibitis in veteri lege, ex eod.

Et n. 27. ait: Concessionem contrariam (huic præcepto) factam esse, quando vel ob necessitatem, ut initio generis humani; vel ob interdictam communionem cum populo infideli, & ad multiplicandum populum fidelem ex pari cultu; sicut contigit in Patriarchis Abraham, Isaac, & Jacob; vel ob dignitatem sanguinis & auctoritatis in Regibus conservandam; vel ob suscitandum semen defuncti fratris, ut ex lege licebat; vel ne obstaculum fiat fidei, ut cap. Gaudemus, de Divortiiis, permittitur Matrimonium in secundo & tertio gradu initum ante Baptismum, & dicitur Matrimonium inter fideles constare, & illud in gradibus aliàs prohibitis esse licitum, quod intelligendum est ex ignorantia invincibili Divinæ legis, & ex usu & consuetudine contraria, ubi vigeant talia Matrimonia. Sic Hiquæus.

168.  
An id bene probetur ex c. 8. de Divort.

At, inquis, si est lex Divina, consuetudine ei non potest derogari. Neque Pontifex in d. cap. ullam facit mentionem ignorantie legis Divinæ, sed ait: *Et in præmissis gradibus à Paganis quoad eos Matrimonium licite sit contractum, qui constitutionibus Canonice non arctantur.* Ergò supponit illa Matrimonia inter fideles esse illicita, non ex lege Divina, sed ex constitutionibus Canonice.

Planè supponit; sed per Tô *Licite* dicit aliquis, videtur intelligi Tô *Valide*; quia solum interrogabatur Pontifex, an sic conjugati possent manere conjuncti post Baptismum; & respondet, posse permanere; tum, quia Matrimonium jure naturæ erat validum; tum in favorem Christianæ Religionis, sive licite, sive illicite, id est, sine peccato, an cum peccato ante Baptismum contraxissent.

Ut sit de hoc puncto, constat ex dictis, exemplum Abraham non probare efficaciter intentum; quia lex naturæ, secundum Adversarios, non irritat Matrimonium fratris cum sorore in

Boſco de Matrim. Pars II.

quocumque casu, sed regulariter tantum, hoc est, nisi id postulet bonum superioris ordinis, aut alia justa causa.

Et idem responderi posset ad exemplum Thamar sororis Ammon, (quo utitur Pontius sup. n. 7.) quæ ad illum inquit 2. Reg. 13. v. 12. & 13. *Noli frater mi, noli opprimere me, .... quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Quo inaniter, inquit Pontius, se puella defendere conaretur, si illicitum, inauditum, non usu receptum, aut quod justà subsistente causâ fieri non posset conjugium.

169.  
An exemplum Thamar probet efficaciter intentum;

Nec verò dici potest, Thamar non fuisse filiam David, sed privignam, ut constat ex eodem cap. & lib. 1. Paralip. cap. 3. ubi enumeratur inter filios David. Nec etiam dici potest, illam non fuisse seriò & ex animo locutam, sed tantum, ut juvenem insanientem illuderet, cum postea dixerit v. 16. *Majus est hoc malum, quod nunc agis adversum me, quam quod antè fecisti, expellens me, volebat jam, scilicet patre consentiente, more conjugis cum Amnone fratre permanere, idque satagebat.* Ita Basilius.

Et concludit dicens: Quicumque certè hæc duo (exempla, Abraham scilicet & Thamar) attentè expenderit, licet non concedat, certam esse opinionem, quam defendimus; dabit tamen, cum magna probabilitatis specie asseri posse, illam sacris Letteris confirmari.

170.  
Pontius patet valde probabiliter ex eo confirmari.

Expendi ego attentè, ut puto, hæc duo exempla, & video ad summum probare, in aliquo casu, justà existente causâ, Matrimonium fratris cum sorore posse esse licitum & validum, quod Adversarij non negant; sed solum asserunt, Matrimonium hujusmodi non esse validum, absente justâ causâ. An autem in illis exemplis fuerit justa causa, est alia quæstio; Hiquæus affirmat, ut audivimus.

Judicium Auctoris.

Deinde ad exemplum Thamar respondet Dicastillo sup. An illa scire debebat id, de quo etiam nunc hodie in lege nova disputatur? Unde & illo exemplo non vult uti hic Auctor. Quippè, ut Sanchez ait sup. n. 14. non potest firmum argumentum duci ex opinione unius puellæ, existimantis vel id Matrimonium licitum esse, vel minùs malum, quàm vi stuprari.

171.  
Resp. ad exemplum Thamar, ex Dicast.

Porro ad exemplum Abraham respondet Sanchez ibidem, Saram non fuisse veram Abrahamæ sororem; sed vocasse illam Abrahamum filiam patris sui Thare, quia erat neptis ejusdem Thare ex ejus filio Aram, fratre Abrahamæ, ut asserunt D. Aug. lib. 16. de Civit. cap. 12. & 19. Nec solus Aug. id asserit, sed alij complures, quos ibi citat Sanchez. Igitur hæc exempla non dant magnam probabilitatis speciem opinioni Pontij.

Resp. ad exemplum Abraham, ex Sanchez.

Majorem fortè dabunt Decreta Conciliorum. Agathense Concilium (inquit Pontius sup. n. 8.) cap. 61. cum aliquas incestas conjunctiones enumerasset, subdidissetque universè, ut omnia quæ dixerat, & dicenda supererant, uno verbo comprehenderet, tam inter consanguineos, quàm affines, concludit: *Aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam*

172.  
Probatur sententia Pontij ex decreto Concil. Agath.



consanguineus habuit, concubitu polluerit, aut duxerit uxorem. Cum ergo hæc omnia Matrimonia prohibuisset, inquit: Quod ita presenti tempore prohibemus, ut, quæ sunt ante nos instituta, non dissolvamus.

Quo Decreto convinci videtur, ea Matrimonia valere potuisse. Pone enim fratres aliquos Matrimonio conjunctos tempore ejus Decreti, inquiri, an essent dissolvenda conjugia illa, vel secus? Si hoc secundum, vinco quod volo, valuisse scilicet; si verò dissolverentur, id manifestè est contrà tenorem Decreti. Hæc ille.

173.  
Recitantur  
verba De-  
creti.

Quæ ut melius expendantur, transcribo totum Decretum, ut refertur 35. q. 2. & 3. c. 8. De incestis conjunctionibus nihil prorsus veniam servamus, nisi cum adulteriam separatione sanaverint. Incestuosos verò nullo conjugij nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. Hos enim censensus esse: si quis relictam fratris (quæ penè prius soror extiterat) carnali conjunctione polluerit: si quis frater germanam uxorem acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrina sua se sociaverit: si quis relicta vel filia avunculi miscetur, aut patrii filia, aut privigna sua, aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit concubitu polluerit, aut duxerit uxorem. Quos omnes & olim & nunc sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, & inter Cathecumenos usque ad legitimam satisfactionem manere, & orare precipimus. Quod ita presenti tempore prohibemus, ut ea quæ sunt hæcenus constituta (aliàs, Instituta) non dissolvamus.

174.  
Quis sit  
sensus ho-  
rum verbo-  
rum, ex  
Gloss.

Ubi Gloss. verb. Constituta, 2. inquit: Id est, antiquos Canones, Adeoque secundum hanc Gloss. sensus istorum verborum est: Quod ita presenti tempore prohibemus, ut antiquos Canones non dissolvamus. Ergo si fratres, Matrimonio conjuncti tempore ejus Decreti, separarentur, tamquam invalidè conjuncti, id manifestè esset contrà tenorem Decreti, negatur Consequentia; nisi ostenderis antiquos Canones hujusmodi Matrimonia pro ratis habuisse.

Alius sensus  
ex Aurelian.  
3.

Igitur ut hoc Decretum aliquid probat, per ly Instituta, seu, Constituta, intelligenda sunt Matrimonia, prout intelligit Pontius. Et verò sic debere intelligi, videtur colligi ex Concilio Aurelianensi 3. Can. 7. sequentis tenoris: De incestis conjunctionibus ita quæ sunt statuta, serventur, ut hi, qui aut modo ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali predicatione antea in notitiam non venerunt, ita pro novitate conversionis ac fidei suæ credidimus consulendum, ut contracta hæc usque conjugia non solvantur, sed in futurum, quod de incestis conjunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum est, observetur, id est, ne quis sibi sub conjugij nomine sociare presumat relicta patris, filiam uxoris, relicta fratris, sororem uxoris, consobrinam aut sobrinam, relicta avunculi vel patrii.

175.

Sed hic tantum agitur de gradibus affinitatis, ut patet; in Decreto autem Concilij Agathensis, etiam de gradibus consanguinitatis; non tantum in secundo, tertio & ulterioribus, verum & in primo gradu, ut notat Pontius sup. n. 9. ubi sic ait: Sed expendo alia verba ejusdem Decreti, quæ, nisi fallor, aperte & sine ambage continent nostræ sententiæ decisionem. Inquit

enim. Si quis relictam fratris (quæ penè prius soror extiterat) carnali conjunctione polluerit: Si quis frater germanam uxorem acceperit.

Alia verba  
ejusdem  
Concil.

Inquiri enim: quis sit horum postremorum verborum sensus? Ego quidem eum, quem præ se ferunt, esse intelligo, scilicet: ne quis frater germanam suam uxorem accipiat, alius enim esse non potest. Si enim quis existimaverit sensum esse, ne frater ejus, qui uxorem duxit, ducat in uxorem germanam uxoris primi mariti, ridiculus erit: duo enim fratres duabus sororibus nubere nunquam affinitatis genere primo, secundo, & tertio prohibiti fuerunt.

Quæ ex-  
pendit Pon-  
tius pro sua  
sententia.

Si autem quis dicat, ibi præcipi, ne frater ducat germanam uxoris suæ, quam prius habuerat, non minùs alienus sensus est; tum, quia in omnibus codicibus, quos ego hæcenus reperire potui, invenitur: Germanam uxorem, non, uxoris; & in cap. De incestis, 35. q. 2. & 3. eodem modo legitur. Quare corruptum esse textum, dici non potest cum aliquo fundamento. Tum etiam; quia quorsum diceret: Si quis frater, & non absolute: Si quis ducat germanam uxoris? Non ergo est aliud, quod referat illa vox, Germanam, nisi vocem illam: Frater, & contrà.

176.

Nec dici potest, hæc secundà clausulà idem significasse, quod primà, ut ex ipso contextu satis liquet. At statim dicit Agathense Concilium, se non dissolvere antea secus instituta conjugia. Ergo sentit de omnibus Matrimoniis, in illis saltem gradibus expressim prohibitis valere conjugia, aliàs illos relinqueret in manifesto peccato. Hæcenus Pontius.

Evasio pra-  
cluditur.

Et siquidem Concilium apertè diceret, se non dissolvere antea secus instituta conjugia, transeat, quòd apertè, & sine ambage prædicta verba continent decisionem sententiæ Pontij; sed sup. ostendimus, Gloss. per ly Instituta, intelligere antiquos Canones. Et quamvis Aurelianense 3. apertè dicat: Contracta hæc usque conjugia non solvantur; non tamen apertè loquitur de Matrimonio contracto inter fratrem & sororem, ut liquet ex verbis sup. allegatis.

177.

Ostenditur  
hæc decreta  
non continere  
apertam  
decisionem  
sententiæ  
Pontij.

Sed neque Concilium Agathense. Quippè Concil. Turonense secundum cap. 22. in quo tractat de incestis conjunctionibus, in principio refert se ad statuta Canonum vetera, dicens: De incestis verò conjunctionibus censuimus statuta Canonum vetera (puta, Concil. Agathensis, Concil. Epaunenensis, & Aurelianensis) non interrumpi. Satis enim facimus, si in hac parte statuta præsertim servemus. Sed propterea fuit iterare necessarium; quia dicunt plures, quasi illud, per Prædecessorum negligentiam Sacerdotum, illis non fuisse apertum.

Et quibus verbis putatis, quòd iteraverit? Incestis, inquit, conjunctionibus nihil prorsus veniam servamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestus verò, nec ullo conjugij nomine predicandos, præter illos, quos dinumerare funestum est, hos esse censuimus: ut si quis relictam fratris, quæ penè prius soror extiterat, carnali conjunctione violaverit: si quis insuper germanam uxoris suæ acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrina, sobrinaque se sociat, ab Ecclesia segetur. Quod ut

178.

Decretum  
Concil. Tu-  
ron.

a præ-



à presenti tempore prohibemus, ita ea, quæ sunt antèrius instituta, non solvimus. Et quæ ista antèrius instituta? Sequitur: *Næ quis relicta Avunculi miscetur, aut patrii, aut privignæ cõcubitu polluat.*

179. *Expenditur.* Ecce non utitur iisdem prorsus verbis, quibus Concilium Agathense, sed quod hoc Concilium obscure dixerat, scilicet *si quis frater germanam uxorem duxerit*, claris verbis explicat, dicens: *Si quis insuper germanam uxoris suæ acceperit.* Ubi omittitur *ly Frater*, & absolutè dicitur: *Si quis insuper germanam &c.* Nec dicitur: *Germanam uxorem acceperit*; sed: *Germanam uxoris suæ.* Non igitur *ly Germanam*, potest referre vocem illam *Frater*, quæ ibi non ponitur, sed necessariò refert fororem uxoris suæ.

Nec solum omittitur hæc *ly Frater*; sed etiam in Concilio Epaunensi cap. 30. (quod Pontius citat pro sua opinione) nam ait: *Incestis junctionibus nihil prorsus venia reservamus &c.* *Si quis Germanam uxorem acceperit.* Igitur probatio, quam Pontius sup. accipit ex *ly Frater*, nullius est pili.

180. *Aliud arg. Pontij.* Ut nec valet, quod lego in fine ejusdem n. 9. Et quidem ita esse legendum, præter ea, quæ diximus, constat ex eo; quia Matrimonium cum duabus sororibus jam prohibitum erat priori clausulâ, eo ipso, quòd prohibetur Matrimonium unius uxoris cum duobus fratribus.

*Eliditur.* Respondeo: erat prohibitum implicite priori clausulâ, concedo; explicitè, nego. Nihil autem repugnat id, quod implicite prohibitum est, ad majorem claritatem rursus apertis verbis prohiberi. Et verò si mens Concilij Agathensis fuisset, prohibere illis verbis Matrimonium fratris cù germana sorore, certè primo loco illud posuisset, veluti in primo gradu consanguinitatis, Matrimonium autem cum relicta fratris solum in 1. gradu affinitatis.

Igitur scitè dixit Pontius: *Nisi fallor*; quia reverà fallitur, dum putat, illa verba Concilij Agathensis apertè & sine ambage continere suæ sententiæ decisionem; quippè satis obscure continent, ut patet ex dictis, si tamen contineant.

181. *Duplex probatio sententiæ Pontij, ex Coninck.* Quæ ergò, dicit aliquis, efficax probatio sententiæ Pontij & nostræ Conclusionis? Probat eam Coninck disp. 32. n. 19. Primò; quia hi (frater & soror) non habent immediatam inter se conjunctionem & reverentiam, sed tantum ratione parentum, quæ non videtur ita adversari Matrimonio, ut hoc irritet. Secundò: quia non videtur credible, Deum voluisse inter eos irritum esse Matrimonium, per quos volebat genus humanum initio propagari, itaque illud instituere, ut necesse fuerit in filiis Adæ ejus institutionem immutare, concedendo, ut ij inter se contraherent, qui per Matrimonij institutionem ad hoc erant inhabiles. Hæc ille.

*Neutra convincit.* Sed quod uni non videtur, hoc alteri videtur. Unde nec ipse Coninck putat has probationes convincere: nam dictis verbis acturum subjungit: *Utrumque ergò sunt congruentiæ, quæ non convincunt.* Quare utraque sententia probabiliter defendi potest.

182. *Congruentia audivistis, Auscultate & hanc: Matrimonium*

inter fratres & sorores adversatur fini secundario ipsius: cum enim convivant, simulque ab incunabulis nutriantur, si inter eos jure naturæ Matrimonia non essent irrita, maxima præberetur ansa inflammandæ concupiscentiæ, & passim incestus committerentur inter eos, ut vel sic Matrimonio jungerentur: cum notissimum sit, facilius quemquam ab earum sceminarum concubitu abstinere, cum quibus non est spes futuri Matrimonij possibilis.

*Confirmatur.* Et confirmatur: quia his Matrimoniis jure naturæ permixtis, tantum aberit, ut ea ardori concupiscentiæ reprimendo deserviant (qui finis est secundarius Matrimonij) ut potius ille ardentibus flagraret. Quippè cum amor naturalis tam arctæ consanguinitatis coeat cum conjugali, arderet utique concupiscentia & effrenatè uti conjugali vacaretur. At recta ratio dicat, ut inter eas solas personas natura Matrimonium permittat, inter quas possit esse moderatus usus conjugij. Ita Sanchez.

183. *Resp. Pontij.* Respondet autem Pontius sup. n. 12. Quòd id periculum sequeretur, non ostendit invalidum, sed ut plurimum illicitum. Idemque argumentum fieri posset ad reddendam suspectam habitationem cum relicta fratris, aut cum duabus sororibus, & cum sobrina, quæ tamen absque suspitione cum patris habitant, foceris & fratribus maritorum, & absque controversia certissimum est valere jure naturali, & tantum canonicè impediri.

Adde etiam filios legales simul cum naturalibus habitare, & tamen inter legales nullum impedimentum est, & inter legales & naturales tantum Ecclesiasticum. Quare ex eo, quòd natura velit communem esse habitationem fratrum, tantum colligitur jure optimo, Deum olim in veteri lege, & in nova nunc Ecclesiam impedimentum constituisse, ut scientes se invalidè contrahere, etiam si attentarent, abstineant à cõcubitu. Hæc ille.

184. *Alia probatio sententiæ Sanchez.* Probat præterea Sanchez suam sententiam, quia nunquam Ecclesia in hoc gradu dispensavit, cum aliquando petitum fuerit à Pontifice. Nam teste Paulo Emilio in Ludovic. 11. Comes Armeniacus, Pontificiâ dispensatione ementitâ, sororem duxit, cò quòd verà nunquã impetrare potuisset.

*Rejicitur à Pontio.* Respondet Pontius sup. n. 10. id parum referre: tum, quia justa causa, & quæ necessaria ad dispensandum in eo gradu esset, non occurrit; tum etiam, quia quantum ex allatis Decretis colligi potest, verosimile est, nonnulla Matrimonia inita inter fratres valuisse; aut saltem ex illis Decretis colligitur non obscure dispensatio, cum concedant, ut secus inita conjugia perseverent, quod olim ad Episcopos pertinebat: tum denique inquiri ab istis, quando audivimus vel legimus dispensasse Pontificem, ut quis nubat duabus sororibus, & tamen nostrâ ætate dispensatum in eo est à Clem. 8. & superioribus annis concessum, ut relictam fratris alter acciperet; & tamen ignoro, an prioris dispensationis prioribus sæculis ullum extet exemplum. Ita Basilium.

185. *Resolutio finalis.* Manet itaque probandum Adversariis, quòd Pontifex noluerit dispensare, existente justâ & necessariâ causâ dispensandi. Quod cum non faciant, neque hoc argumentum quidpiam



convincit. Sed nec prima argumenta, ut patet ex eorum solutionibus, adeoque vera permanet nostra Conclusio: cum enim irritatio Matrimonij sit res gravis & odiosa, ac in dubiis standum sit pro valore Matrimonij, non debet ea irritatio asseri, absque solido omnino fundamento & ratione convincente. Hic ergo sit finis hujus Conclusionis. Sequitur

### CONCLUSIO III.

Matrimonium in linea transversali jure Ecclesiastico est illicitum juxta ac invalidum usque ad quartum gradum inclusivè, & non ultrà.

186. *Probatur Conclus. ex c. 8. de Consang.*  
**I**Ta omnes Catholicici, & habetur expressum cap. Non debet, de Consangu. Ibi: Prohibitio copulae conjugalis quartum consanguinitatis gradum de cetero non excedat. Ubi ly De cetero satis clarè innuit, olim eum gradum excessisse.

Et si quæras, ad quem gradum se extenderit? Respondeo usque ad septimum, ut constat ex cap. 7. 35. q. 2. & 3. quod est Iulij Papæ: Nullum (inquit hic Pontifex) in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris usque ad septimum generis gradum uxorem ducere. Et ead. causâ ac q. c. 19. ex Concil. Lugdun. dicitur: Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant.

Similiter loquuntur alij Canones, qui ibid. referuntur, puta Can. 16. qui est Greg. Papæ, & præcipit taliter conjunctos separari, dicens: Progeniem suam unumquemque usque ad septimam decernimus observare generationem, & quamdiu se agnoscant affinitate propinquos ad conjugalem copulam accedere denegamus. Quod si fecerint, separentur. Et cap. 17. sic ait Nicol. 2. De consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque ad generationem septimam &c. Vide etiam cap. Ad sedem Apostolicam, 2. 35. q. 5.

187. *Objectio ex c. 20. 35. q. 2. & 3.*  
 Sed objicitur illud Greg. ad Aug. Anglorum Episcopum c. 6. (& refertur 35. q. 2. & 3. c. 20.) Quadam lex terrena in Romana Repub. permittit, ut sive fratris & sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Vnde necesse est, ut in quarta vel quinta generatione (alia lectio habet: In tertia vel quarta) fidelium licentur sibi jungantur.

*Solvitur ex eodem cap.*  
 Ecce objectio; sequitur responsio in eodem cap. sequentis tenoris: Sed idem humillimus Pater Gregorius post multum temporis à Felice Messana Sicilia civitatis Prasule requisitus, utrum Ang. scripserit, ut Anglorum in quarta generatione contracta Matrimonia minime solverentur, inter cetera talem responsum reddidit. Quod scripsi Augustino Anglorum gentis Episcopo, alummo videlicet (ut recordaris) tuo, de sanguinis conjunctione, ipsi, &

Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono, quod cæperat, metuendo ansteriora recederet, specialiter, & non generaliter ceteris me certissime scripsisse cognoscas. Vnde & mihi omnis Romana civitas testis existit. Nec eâ intentione hæc illis scriptis mandavi, ut postquam firmâ radice in fide fuerint solidati, si in infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, ut infra affinitatis lineam, id est, usque ad septimam generationem jungantur.

Ecce solutio clarissima, videlicet Greg. Papam dispensasse cum Anglis favore fidei, ut possent contrahere in quarta vel quinta generatione pro initio suæ conversionis. Signum profectò, quod prohibitio hæc usque ad septimum gradum tantum fuerit Ecclesiastica, cum in lege Divina, nequeat Pontifex dispensare. Unde quod ibi dicitur: Sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare, vel intelligendum est de lege Ecclesiastica, quæ rectè dicitur sacra, prout condistinguitur legi civili, vel intelligendum est de lege Divina veteris Testamenti, non quæsi adhuc obliget, sed per modum paritatis & exempli prohibitionis Ecclesiasticæ.

Et eodem modo exponitur, quod ait Zacharias Papa cap. Pitacium, 2. 30. q. 3. ibi. Sed bene tua sancta fraternitas compertum habet, quod Dominus præceperit per Moysen, dicens: Turpitudinem patris tui, vel matris, vel sororis non revelabis; turpitudinem enim tua est. Cum ergo à propria consanguinitate jubemur abstinere &c.

Ubi Gloss. verb. Sororis, inquit: Arg. quod in primo, vel in secundo gradu Dominus Papa, etiamsi velit, non possit dispensare: quia à naturali jure habuit initium, & in veteri testamento fuit prohibitum, ne quis sororem in uxorem acciperet: quia licet de sola sorore dixit, tamen sub appellatione sororis continetur uepris, arg. 22. q. 2. Quæritur cur Patriarcha, in tertio gradu non fuit prohibitum; quia in eo dispensavit Greg. ut 35. q. 3. Quædam

189. *Pontifex potest dispensare in gradu laterali.*  
 Quod autem in secundo gradu Dominus Papa non possit dispensare, intelligit eadem Gloss. de secundo gradu in descendentes, ibi: Sed dicit, quod in Levitico prohibetur secundus gradus in descendentes: unde in secundo collateralis bene potest Papa dispensare. Prout dispensavit cap. Gaudemus, de Divortio, ubi dicitur, quod si Pagani contraxerint in secundo gradu, post conversionem non sunt separandi.

Si objicias cap. Litteras, 13. de Restitut. sponsalium, ubi dicitur, quod Papa non possit dispensare in secundo gradu: Respondet ead. Gloss. Quod non potest ita de facili. Operæ pretium erit transcribere dictum caput: Rescripto petebas Apostolico (inquit Innoc. 3.) edoceri, utrum quando aliquis consanguinitatis gradus objicitur, in quo Sedes Apostolica dispensare non potest, nec etiam concessit, & probationes promptæ sunt & paratæ, indulgentia restitutio sit, an neganda.

Ubi Gloss. verb. Non potest, ait: Id est, non vult, vel non expedit. Sic 32. q. 5. Si Paulus, in Gloss. suscitare: quoniam Papa in omnibus dispensare potest, quæ non sunt contra articulos fidei, vel generalem statum Ecclesiæ, 15. dist. Sicut, in Gloss. fin. & 25. q. 1. Sunt quidam, cum Gloss. sua.

188. *Quid Pontifex in d. c. intellexerit per legem sacram.*

Exponitur Zacharias Papa.

189. *Pontifex potest dispensare in gradu laterali.*

Objectio ex c. 13. de Restit. sponsalium.

190. *In quibus Pontifex non possit dispensare, ex Gloss.*

Nec



*Nec in his, quæ sunt contrâ substantiam monachatus, inf. de Statu Monach. Cùm ad Monasterium, in fin. Nec in his, quæ in sui naturâ sunt mala, ut quod sine peccato posset quis aulterari, arg. inf. de jurejur. Et si Christus, §. Quædam etiam. Nec potest dispensare, ut simul quis habeat plures uxores, sup. de Transact. cap. ult. Idem credo de gradibus Divinâ lege prohibitis, ut hic dicitur. Vnde proprie ponitur hoc verbum: Non potest, & ideo hæc exceptio: Non vult, vel, Non expedit, non habet locum hic. Hactenus Gloss.*

191. Sed ego credo, non esse idem dicendum de omnibus gradibus, Divinâ lege, putâ Levit. 18. prohibitis; nam constat Pontificem d. cap. Gaudemus, dispensasse in secundo gradu lineæ transversalis, qui tamen, saltem pro aliqua parte, fuit prohibitus Levit. 18. ibi: *Turpitudinem sororis patris tui non discooperies; quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis; eò quod caro sit matris tuæ.* Ubi prohibetur Matrimonium nepotis cum amita vel matertera, quod constat esse in secunda linea. Igitur hoc verbum: *Non potest*, non proprie ibi ponitur, sed ut idem sit, quod, *Non vult*, vel, *Non expedit*, aut certè, *Non potest ita de facili*, ut alia Gloss. dicebat.

192. Putant aliqui, omnes gradus expressos Levit. 18. obligare in lege nova; ac proinde in ipsis Matrimonium fuisse prohibitum jure naturæ. Ducuntur: quia Deus ipse Levit. 18. tradens ea præcepta, videtur manifestè declarare, prohibitionem illorum graduum non pertinuisse ad præcepta judicialia, aut cæremonialia illius particularis legis, quæ morte Christi peritura erant, adeoque jam perierunt; sed ad præcepta moralia juris naturalis, quæ ad omnes homines, ac ad universa tempora pertinent; quippe postquam tradidit ea præcepta, subdidit: *Nec polluamini in omnibus his; quibus contaminata sunt universa Gentes, & quibus contaminata est terra, cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos. Custodite legitima mea atque judicia, & non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena, quam colonus, qui peregrinantur apud vos: omnes enim execrationes istas fecerunt accola terra, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam.* Ergo manifestè declarat, prohibitionem illam fuisse juris naturalis: alias Gentes, soli juri naturali subjectæ, minimè sceleris & abominationis arguerentur, quod in gradibus ibi prohibitis contraxerint.

Confirmatur ex Levit. 20. ubi, post enumeratos gradus, habentur hæc verba: *Custodite leges meas atque judicia, & facite ea: ne & vos evomat terra. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos: omnia enim hæc fecerunt & abominatus sum eas.*

193. Respondet Bellar. lib. 1. de Matrimonio cap. 27. omnia illa præcepta de gradibus cognationis naturalia sunt aliquo modo, nimirum si nudè ac solitariè sumantur gradus cognationis sine circumstantiis, quæ sufficiant ad Matrimonia in illis gradibus honestanda. Nam certè propositio illa generalis Levit. 18. *Ad proximam sanguinis sui nemo accedat, jus naturæ complectitur; &*

ided etiam in singulis præceptis de gradibus, ita periturum vocabulum, *Turpitudò*; quia turpe est cum cognata Matrimonium contrahere, cum natura ipsa dictet reverentiam quamdam illis deberi, cum qua pugnat copula carnalis. Et quia Gentes illæ sine ullo delectu miscebantur sanguineis, peccabant haud dubiè in singulis contrâ jus naturæ, & ideo meritò puniebantur.

Est tamen illud hic observandum, peccasse quidem Gentes, in ejusmodi conjugia contrahendis, sed non ita graviter, ut propter illa ejiciendæ essent è terra: ista enim pœna proprie respicit crimen idololatriæ, & adulteria & flagitia illa prodigiosa cum bestiis & masculis. Cùm enim Scriptura dicit: *Omnia hæc fecerunt &c.* non intelligit tantum conjugia in gradibus prohibitis, sed omnia scelera sup. nominata. Nec dicit Scriptura, propter singula peccata fuisse dignos illos, qui à terra evomerentur: sed propter omnia; quia nimirum inter illa omnia, erant quædam gravissima, & enormia.

Veram esse hanc solutionem, confirmari potest exemplis Patriarcharum, ut Jacob, Iudæ & Amram; addo etiam Abraham ex opinione Theodori Beza, qui in gradibus prohibitis conjugia contraxerunt, & tamen à Deo puniti non sunt; quia videlicet non temerè, sed cum ratione id fecerunt; neque ad ista conjugia adjunxerunt quatuor illa scelera, ob quæ proprie Gentes illæ punitæ fuerunt. Hactenus Bellarminus.

Qui ibid. diffusè probat contrâ hæreticos, non obligare jure Divino Christianos præcepta omnia, quæ de gradibus habentur in Levitico, eò quod aliqua sint judicialia illius peculiaris legis, & non moralia juris naturalis. Unde neque ante legem veterem obligârunt, ut ibid. probat hic Auctor ex diversis exemplis Sanctorum, qui in lege naturæ in gradibus, in Levitico prohibitis, connubia junxerant, ut Iacobi, qui duas sorores viventes simul accepit uxores, Liam, & Rachelem, Gen. 29. id autem expressè prohibetur Levit. 18. & est primus gradus affinitatis in linea transversa. Ita Bellar.

Verum ad hoc, & similia exempla respondent Adversarij; conjugia ista facta fuisse, Deo dispensante. Sed hæc solutio (inquit Bellar.) non est solida: nam ex cap. 28. Gen. satis apparet, fuisse consuetudinem loci, ut duæ sorores uni viro conjungi possent. Sic ille.

Estò, fuerit consuetudo. Nunquid etiam consuetudo erat, ut unus vir acciperet duas uxores simul? Num ideo polygamia non est prohibita lege naturali, aut hodie Pontifex in ea potest dispensare?

Meliùs ergo probatur hæc sententia ex eo, quod in Levitico quædam conjugia prohibentur, & quædam non in eodem gradu; v. g. prohibetur conjugium nepotis cum amita & matertera, & non prohibetur conjugium partrui vel avunculi cum nepte ex fratre vel sorore. Quamquam enim unum conjugium sit magis indecens, quàm aliud, ut sup. ostendit Bellar. &

194. Non propter sola Matr. in gradibus prohibitis Gentes ejicitæ fuerunt è terra.

Ostenditur ex factis Patriarcharum.

195. Aliqua præcepta de gradibus in Levit. sunt judicialia.

196. In Levit. quædam conjugia prohibentur in eodem gradu. & quædam non?

illa



illa diversitas fuerit ratio sufficiens, unum prohibendi, & non alterum lege positivâ judiciali, tamen (inquit hic Auctor) si gradus ille jure naturæ interdictus esset, profectò non sufficeret modica illa diversitas ad id efficiendum, ut in eo gradu Matrimonium esset aliquando licitum. Non enim illa diversitas est in ipso gradu propinquitatis, sed in aliquo extrinseco superaddito; nimirum in ætate, vel sexu, vel aliâ simili circumstantiâ. Hæc ille.

Sicuti eadem diversitas in sexu reperitur in conjugis patris cum filia, & matris cum filio, quæ tamen non sufficit, ut unum sit licitum & validum, alterum autem jure naturæ illicitum & invalidum. Unde & in Levitico 18. utrumque exprimitur ibi: *Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tue non discooperies.* Idque, quia utrumque jure naturæ prohibitum est, quàmvis sit major indecentia in Matrimonio matris cum filio, quàm in conjugio patris cum filia. Ergò similiter, si Matrimonium amitæ cum nepote foret jure naturæ illicitum, etiam Matrimonium patris cum nepte foret eodem jure illicitum, & exprimeretur in Levitico, quod tamen constat non fieri.

197. *Definitur Trid. Eccl. si in posse dispensare in aliquo us gradibus.*

Denique optima probatio hujus veritatis defumitur ex Concilio Tridentino sess. 24. Can. 3. *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis gradus, qui Levitico exprimentur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constinere ut plures impediunt & dirimant, anathema sit.*

Non dicit, in omnibus dispensare, sed: *In nonnullis.* Ergò Concilium agnoscit aliquos gradus, expressos in Levitico, impedire & dirimere Matrimonium jure Divino naturali, saltem latè dicto, in quo Pontifex non potest dispensare; alios autem jure tantum Ecclesiastico, in quo Pontifex possit dispensare.

198. *Quomodo intelligendum e. Litteras de Ref. spol.*

Igitur quando in d. cap. *Litteras de Ref. spol.* dicitur, Pontificem non posse dispensare in gradibus consanguinitatis, Divinâ lege prohibitis, ibi: *Opinioni autem ultima videtur non incongruè adaptari, ut in gradibus consanguinitatis Divinâ lege prohibitis restitutioni aditus præcludatur: sed constitutione (scilicet humanâ) interdictis, humana restitutio locum habeat cum effectu, cum in illis dispensari non possit, & in istis valeat dispensari, sicut B. Gregorius, & multi alij dispensarunt: intelligendum hoc venit, vel de aliquibus gradibus, aut si de omnibus velis intelligere, qui prohibentur in Levitico, dic, Ecclesiam non consuevisse in istis dispensare, quàmvis alioquin in aliquibus absolute possit dispensare.*

199. *Quanam persona excludantur à conjugio, ex Gloss.*

Audi Glossam ibi verb. *Divinâ lege: In Levitico, scilicet 18. cap. Quondam propter hominum raritatem, tantum dua persona excludantur à conjugio, ut nec filius matrem, nec filia patrem duceret. Sub lege excepit ferè duodecim, matrem, novercam, sororem, neptem, amitam, materteram, uxorem patris, uxorem fratris (sed hoc recipit determinationem 8. q. 1. Olim) privignam, filiam privigni*

vel privigna, sororem uxoris, paucas tamen exclusit, ut multiplicarentur homines. Sub gratia verò, scilicet tempore Christi plurima persona excluduntur, ut locum haberet continentia, & est illa prohibitio conjugij: nam à fornicatione quilibet & qualibet excluduntur. Et ita cum Ecclesia in istis gradibus, Divinâ lege prohibitis, non consueverit dispensare, eis oppositis non est restitutio facienda, & hoc videtur sonare littera ista.

Planè sic sonat littera ista circâ principium ibi: *In qua Sedes Apostolica dispensare non potest, nec etiam consuevit, quæ ultima particula frustra adderetur, si absolute non possent Sedes Apostolica dispensare. Si autem Pontifex possit dispensare, sicut reverà potest, quàmvis non soleat, quia rarissimè occurrit sufficiens causa dispensandi, non video, quomodo gradus omnes prohibiti in Levitico, adhuc hodie prohibiti & irriti maneant, seclusâ constitutione Ecclesiæ, ex solo jure Divino naturali, quod erat antè legem veterem.*

Sanè, ut jam sæpius dictum est, d. cap. *Gaudemus*, Pontifex permittit paganos conjunctos in secundo & ulterioribus gradibus, post susceptum Baptismum permanere simul, & uti Matrimonio jam contracto, eò quòd non obligabantur legibus Ecclesiasticis, quando illud contraxerunt. Quod procul dubio non fecisset, si judicasset tale Matrimonium jure naturali Divino illicitum & invalidum. Nam eodem cap. *Paganis*, qui plures antè Baptismum duxerant uxores, præcipit permanere cum prima, aliis dimissis, eò quòd polygamia sit contra jus Divinum naturale, ut alibi explicatum fuit, atque adeò secundum Matrimonium & tertium invalidum, in quo utique jure Pontifex non possit dispensare.

Sed dicit aliquis: idem Pontifex Innoc. 3. cap. fin. de *Divortis*, approbat Matrimonia infidelium, qui contraxerunt cum uxoribus fratrum defunctorum, si tamen decesserunt sine prole: *Quia (inquit) dispar est ritus Livonien. de novo ad fidem Catholicam conversorum à nostro; propter infirmitatem gentis ejusdem concedimus, ut Matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur: si tamen fratribus decedentibus sine prole, ut semen defuncti, juxta legem Mosâicam, suscitarent, cum talibus contraxerunt.* Ergò censet, gradibus illis veteris legis infideles arctari, alioquin non indigerent Matrimonia illa novâ approbatione, sed valida essent, sive cum liberis, sive absque liberis frater obisset.

Respondet Sanchez sup. disp. 52. n. 8. cum *Abulensi* 1. Reg. c. 8. q. 165. in fine, ibi haberi sermonem de Matrimoniis, tempore infidelitatis initis, quæ irrita erant cum uxoribus fratrum defunctorum cum liberis, & permitterentur, quando sine liberis decesserant, ad suscitandum semen fratris mortui, non ratione legis antiquæ Mosâicæ, quæ jam cessârat, sed ratione consuetudinis, quæ inter illos aliter irritabat ea Matrimonia. Dispensat ergò Pontifex, ut conversi ad fidem maneant in illis Matrimoniis, maxime si ad suscitandum semen defuncti fratris,

200. *Sedes Apo.olica non sola in aliquibus gradibus dispensare, quàmvis possit.*

Cap. 8. *de divort. permittit paganos in 2. gradu post. Baptismum manere simul.*

201. *Obiectio. c. fin. de Divort.*

202. *Solvitur ex Sanchez & Abulensi.*



tris, contracta essent : unde etiam dispensat, licet non ad eum finem essent inita : in quo eventu erant nulla, juxta eorum consuetudinem : unde ea verba textus : *Si tamen* &c. non accipiuntur conditionaliter ; sed accipitur, *Si*, pro *Maximè*.

203. *Secunda responsio ex Covar.* Vel secundo respondet Covar. 4. Decret. 2. part. c. 6. §. 10. n. 3. ea Matrimonia fuisse contracta post conversionem ad fidem, ac proinde fuisse irrita ; at ea non dissolvi à Pontifice, sed dispensare propter fragilitatem illorum, qui noviter Christi fidem professi fuerant. Hæc Sanchez.

*Auctori magis placet 1. responsio.* Nobis magis placet prima responsio : quia secundæ responsioni videtur ob stare, quod in fine dicti cap. scribit Pontifex : *Ne tales sibi de cetero, postquam ad fidem venerint, copulent, prohibentes.* Ergo in prioribus verbis videtur loqui de iis, qui ante susceptam fidem contraxerant.

204. *Alia obiectio ex c. 4. de Consang.* Objicitur præterea cap. 4. de Consang. ubi idem Pontifex rescribit Archiepiscopo & Capitulo Tiren. in hæc verba : *De infidelibus ad fidem conversis, utrum si ante conversionem suam secundum legis veteris instituta circa gradus consanguinitatis, à canone denotatos, conjuncti fuerint, separari debeant post Baptismum. Consultationi tuæ duximus respondendum, quod Matrimonium sic contractum non est post Baptismi levacrum separandum.* Ergo à contrario sensu sentit, separandos esse, si contra illius legis præscripta conjuncti sunt.

*Solutio ex Sanchez.* Respondet Sanchez sup. hoc argumentum nihil valere. Quia ( inquit ) Pontifex non decidit, Matrimonia infidelium, juxta veteris legis statutum inita, esse valida, quasi limitans, dummodo juxta illud statutum ineanant, ut sic liceat formare argumentum à contrario sensu : sed rogatus est expressè, an Matrimonia, juxta illius legis permisos gradus celebrata infidelitatis tempore, sint valida. Et respondet directè quæstioni, valida esse. Quod infidelitatis tempore validè possit contrahi Matrimonium, dummodo non sit in gradu lege naturali irritanti prohibito. Hæc ille.

205. *Explicatur cap. Pitacium, ex Sanchez.* Ad cap. Pitacium, sup. adductum, ubi Pontifex Zacharias ad probandum, non licere cognatam spiritualem ducere, affert præceptum Domini per Moysen Levit. 18. Respondet Sanchez sup. non afferri testimonium illud veteris legis, quasi nunc obliget ; sed in argumentum, si Deus prohibebat Matrimonium cum cognata carnali, eò quod id dedebat ; æquum est, ut ob indecentiam prohibeatur ab Ecclesia Matrimonium cum cognata spirituali. Ita Sanchez. Affertur igitur, ut sup. dixi, præceptum Domini per Moysen, per modum paritatis & exempli prohibitionis Ecclesiasticæ.

*Illatio Auctoris.* Ex quo ego deduco : sicuti non foret peccatum ( saltem mortale ) contrahere cum cognata spirituali, secluso præcepto Ecclesiæ, estò contineat ante præceptum aliquam indecentiam ; sic itidem non fuisset peccatum ( saltem mortale ) contrahere in aliquibus gradibus prohibitis olim lege Divinâ, hæc seclusâ, quamvis alioquin indecens fuisset sic contrahere, propter quam uti-

Bosco de Matrim. Pars II.

que indecentiam Deus talem contractum prohibuit ; non enim natura omnia prohibet per se ipsam, saltem graviter ; quamvis adsit sufficiens ratio naturalis, eam graviter prohibendi per legem positivam. Sic omne peccatum externum in Ecclesia commissum contrahit inde aliquam malitiam sacrilegij, ad minus venialem, raro mortalem, ubi specialis prohibitio non interverit, vel notabilis irreverentia in ipso actu apparuerit. Ita docet Suarez to. 1. de Relig. lib. 3. c. 7. n. 6.

Rogatur aliquis : quomodo lex humana potentior sit ad hanc malitiæ gravitatem, quam naturalis lex ? Respondet idem Auctor sup. n. 9. in fine ? Quia lex humana potest novam obligationem imponere proportionatam naturæ, & additam legi naturali. Imò ad hoc data est hominibus hæc potestas, ut possint adjungere obligationem determinando, quod lex naturalis per se non ita determinabat. Denique : quando non est lex directè prohibens, irreverentia loci est solum indirecta, & ex generali principio, ideoque potest esse levis ; quando verò addita est prohibitio, jam est directè irreverentia ; quia lex humana determinat abstinentiam à tali actu in loco sacro, in cultum ejus, & in signum reverentiæ illi debita. Hæc ille.

Quæ sic applico ad nostrum propositum : quamvis aequalis sit indecentia & irreverentia contrahere Matrimonium cum consanguineis, etiam ex natura rei ; non tamen semper mortalis, nisi specialiter per jus Divinum aut humanum talis contractus prohibeatur. Nam quando non prohibetur, solum est indirecta quasi irreverentia, & ex generali principio, quod in actu conjugali aliquis honor debeat consanguineis ; porro accedente prohibitione Divinâ vel humanâ, jam est directè irreverentia ; quia lex Divina vel humana determinat abstinentiam à tali actu in signum reverentiæ consanguineis debita.

Quæro autem ; cur illa irreverentia naturalis non cesset, Matrimonio jam contracto, ex supposito, quod valeat ; ne alioqui debeant toto tempore vitæ suæ conjuges ab actu illo abstinere, cum maximo periculo suarum animarum ? Responsum expectabo.

Interim subscribam conciliationem quamdam diversarum sententiarum in hac materia, quam lego apud Hiquæum nostrum sup. n. 29. : Aut dicendum erit in hac quæstione, satis incertâ, ob varias gravium DD. sententias & interpretationes, hæc Matrimonia ( prohibita in Levitico ) fuisse non solum prohibita, sed etiam invalida, seclusis circumstantijs particularibus, ad quas non se extendebat, neque de facto extendit Divina præceptio & lex : hæc autem circumstantiæ sunt, aut necessitas communis boni, quod præponderat, pacis aut fidei, aut propagationis, & facultas Ecclesiæ, ita quod particulari arbitrio non permittebantur talia conjugia inter fideles ; aut lex & consuetudo inter infideles, qui nullam aliam regulam habent contractus.

206. Lex humana potest novam obligationem imponere proportionatam naturæ, quod natura non ita præcepit.

Offenditur in casu proposito.

207. Conciliatio diversarum sententiarum in hac materia, ex Hiquæo, Prima.



Hæc secunda circumstantia est rationabilis : quia conjugia in his circumstantiis communis boni tam temporalis, quam etiam spiritualis, debent ad communem & publicam auctoritatem revocari, & hoc olim in conjugio Isaac & Iacob fuit observatum, qui ex facultate & dispensatione parentum, in quibus fuit auctoritas spiritualis & Ecclesiastica illius status, uxores in his gradibus consanguinitatis acceperunt; in Gentibus verò, ubi consuetudo & lex viguit, hæc auctoritas etiam ad primates spectabat, qui huiusmodi connubia invexerunt. In lege autem Evangelica refidet in Vicario Christi, sine cuius auctoritate talia connubia, etiam lege Divina, essent invalida, & non solum auctoritate Canonica, & sic intelligi possunt plures Doctores, qui hæc Matrimonia asserunt ipso jure naturali aut Divino esse irrita, id scilicet & absolute & regulariter verum esse, & spectatam materiã in se, seclusis particularibus circumstantiis, majoris boni & auctoritatis publicæ. Hæc ille. Et ecce prima conciliatio. Sequitur secunda.

208.  
*Secunda.*

Vel dicendum est secundò; illa Matrimonia fuisse tantum prohibita Divina lege positiva; sed simplici prohibitione, & non irritante contractum; esse autem nulla per legem Canonicam inter fideles, inter infideles autem per auctoritatem publicam, ubi consuetudine reprobantur aut lege.

*Occurritur  
objectioni.*

Et si dicas, hanc restrictionem esse liberam & voluntariè excogitatum.

Respondetur: esse fundatam in communibus principiis; quia in quaestione tam gravi & periculosa, cui admiscetur auctoritas Divina & humanae legis, Pontificum, Patrum, plurium Conciliorum & Doctorum, non est vacillandum, aut ad extrema transeundum, fovendo controversias, sed jura concordanda sunt, & ex praxi Ecclesiae interpretanda, quæ veritatis est columna.

209.  
*Extranea  
sententia.*

Plures Patres dicunt, esse hæc Matrimonia inhibita jure Divino, cuius originem in discursu videntur referre ad jus naturale connubij & sanguinis. Ex alia parte habemus Decreta Ecclesiae, nunc ampliantis, nunc restringentis illos gradus ad valorem Matrimonij, ut ex dictis apparet, & permittit infideles in secundo & tertio gradu tam affinitatis, quam consanguinitatis conjunctos, post conversionem permanere. Dispensari etiam ob bonum publicum & præponderans in gradibus similibus affinitatis; oportet hinc colligi neque jure naturali aut Divino eos comprehendi in particularibus circumstantiis majoris & communis boni, quamvis aliàs præcisè sumpta & absoluta essent nulla sine talibus circumstantiis.

Et hoc modo reducitur opinio negativa ad praxim Ecclesiae, quæ suam auctoritatem ejusmodi contractui sæpius interposuit, & salvatur ejus dispensatio, & auctoritas Patrum, qui valorem horum contractuum reducunt ad legem humanam, ut Hieronymus, & Aug. Si verò dicamus, esse simplicem tantum prohibitionem Divinam, & seclusis præmissis circumstantiis,

perinde salvantur Decreta, & Canones, & praxis Ecclesiae. Hactenus Hiquæus.

Qui ibidem n. 31. confirmat hanc concordiam seu interpretationem, discurrendo à posteriori in hunc modum: Hæc conclusio pro certa statuenda est: Matrimonia illa in præfatis gradibus fuisse valida in Patriarchis; fuisse valida inter Gentiles conversos, ut inita primum in infidelitate, ex cap. *Gaudemus*; esse valida ex dispensatione Pontificia. Debet ergo hæc conclusio reduci ad principia certa: proinde decisio ejus non cohæret cum hoc, quod est, talia Matrimonia esse jure Divino & naturali in quibuscumque circumstantiis nulla, quæ principia non cohærent cum veritate conclusionis; ideoque reducenda sunt ad limitatum sensum & materiam, seclusis circumstantiis, in quibus Matrimonia erant valida, quæ circumstantiæ jam præmissæ sunt.

210.  
*Confirmatio  
hac concordia à posteriori.*

Ex alia parte, ipsa Divina Scriptura in Levitico reprobat illa Matrimonia, aut reprehendit tamquam illicita, etiam ante legem inita à Chananæis, & in ipsis à Deo punita. Patres dicunt esse contra jus Divinum: etiam sunt contra debitam in familia disciplinam, & cohabitationem; quæ ratione reducuntur ad jus naturale, & etiam ab iis Gentiles abstinerunt, in quibus fuit majus lumen & melior consuetudo, tamquam ab illicitis, & contra inclinationem sensus, ut dicit Augustinus, quod plurimum valet ad interpretationem legis naturalis, vel in seipsa, vel quoad ea, quæ sunt consona: ergo ex hac parte non est ita declinandum ad alterum extremum, ut dicantur nulli juri Divino repugnare, etiam comprehendendo simplicem prohibitionem, ideoque concordia præmissa retinet medium, reducendo extrema ad interpretationem congruam desumptam ex praxi Ecclesiae, cum qua utraq; sententia cohærere potest.

211.  
*illa Matrimonia saltem fuerunt prohibita.*

Et neganda est sequela, quam aliqui Auctores inferunt hinc inde, vel dicendo, Matrimonia simpliciter invalida, & separandos esse infideles conversos, qui in gradibus illicitis aliàs contraxerunt ante Baptismum; vel ex alia parte neganda est sequela, quam deducunt Alij, vel ex praxi vel ex principiis, quibus innituntur, probantes nullo Divino jure esse talia illicita: & per hoc patet responsio ad fundamenta utriusque sententiæ extremæ, in quantum plus probant, quam contineatur in principiis: admitti enim potest, illa Matrimonia aliquando, seclusis circumstantiis, fuisse invalida, vel fuisse illicita, juxta unum vel alterum modum. Usque adhuc Hiquæus.

212.  
*Negatur sequela præmissa.*

Qui utrum scopum attigerit, relinquo aliis judicandum. Ego, ut dicam, quod sentio; si verum est, Ecclesiam propriè dispensare in aliquibus gradibus, in Levitico prohibitis, non intelligo, quomodo adhuc illi gradus sint prohibiti jure Divino aut naturali, cum in nullo alio jure Divino naturali Ecclesia dispenset, ut patet in polygamia, indissolubilitate Matrimonij fidelium consummati, & similibus.

*Judicium  
Auctoris.*

Dixi







riculum, vel talis necessitas, non fuit tempore primitivæ Ecclesiæ; tum, quia homines erant longioris vitæ; tum, quia minoris generationis; nunc autem crevit in hominibus potentia virtutis nutritivæ, & augmentata est potentia virtutis generativæ propter fervorem libidinis, qui viget nunc in hominibus; adeo quod secundum communem cursum, possent homines ita multiplicari, quod usque ad quartum gradum, nedum usque ad octavum, vix inveniret aliquis, cum qua contraheret.

Et illud patet ad oculum, possibile enim est, quod aliquis generet viginti, & iterum quod aliquis generet tres; nunc ponamus secundum communem cursum, quod generet decem, & illi decem alios decem, in secundo gradu erunt centum, in tertio mille, in quarto decem millia; & ita infra quatuor gradus haberet aliquis consanguineos in una linea undecim millia, centum & undecim, totidem in linea ascendente, & totidem in transversali; ergo secundum naturam haberet triginta tria millia & trecentos triginta tres consanguineos. Et sic in una patria magna vix inveniret, cum qua contraheret usque ad quartum gradum, quanto magis usque ad octavum.

**219.** Et ita propter periculum oportuit revocari illud statutum, & hoc scilicet usque ad quartum gradum statuere, & ista fuit potissima ratio, quare mutatum est, sicut expresse dicitur in decretali edita in Concilio generali, ubi dicitur, non reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas hoc exposcit: hoc autem non solum necessitas exposcebat, sed & utilitas requirebat, & aderat congruitas & potestas: ideo justè usque ad quartum gradum impediri Matrimonium rectissime & irreprehensibiliter statuit & ordinavit Ecclesia. Hinc usque D. Bonav.

**Non sunt hic audiendi hæretici.** Quæ cum ita sint, nequaquam audiendi sunt hæretici, sive qui affirmant, posse consistere Matrimonium inter quosvis consanguineos, dempto primo gradu lineæ rectæ; seu qui solos gradus, Levit. 18. vetitos, admittunt; aut certè, qui admittunt gradus ab Ecclesia prohibitos, ac posse alios ab ea prohiberi, dummodo culpâ vacet, in illis gradibus interdictis Matrimonium inire. Sunt & alij errores hæreticorum de hoc impedimento cognationis, quos omnes refert, & latè impugnat atque expugnat Bellarm. Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 25. & sequentibus.

**220.** Objiciunt autem primò; quod Christus (cujus vices gerit Romanus Pontifex) venerit ad verbum Dei annuntiandum; non autem ad condendas leges politicas, quales sunt Matrimonium interdicentes.

**Solvitur.** Frivola sanè objectio, quasi Christus, qui contractum Matrimonij elevavit ad dignitatem Sacramenti, non potuisset leges præscribere, juxta quas hoc Sacramentum possit & deberet ministrari ac suscipi. Scitè ergo ad hoc argumentum respondit Sanchez sup. disp. 53. n. 6.

**Sanchez.** Leges de Matrimonio etiam esse spirituales, cum Matrimonium sit Sacramentum; atque Christus leges aliquas de illo tulit auferens polygamiam ac repudium. Quid ni ergo ejus Vi-

carius possit auferre gradus aliquos in veteri lege prohibitos, & novos addere?

Quia, inquis (& erit secunda objectio) Deus melius novit, inter quas personas expediat, vel non expediat conjugium iniri; ergò ineptè Ecclesia, Divinum institutum corrigens, aliquos gradus aufert, vel addit.

Respondet Sanchez sup. Ecclesiam minimè corrigere Divinum statutum. Sed Deus commisit Ecclesiæ facultatem prolatandi, & restringendi gradus, ut viderit pro temporum diversitate expedire. Et Hæbræis quidem expedivit, ne plures consanguinitatis Deus prohiberet. Quod rari essent illi, ac valde proni ad repudium, à quo arcerentur, ducentes consanguineas. Quæ rationes cessant modò, & ideo expediens fuit, plures ab Ecclesia gradus interdicti. Hæc ille.

Si dixeris: non sufficit illas rationes cessasse, sed oportet, ut sint etiam rationes positivæ, propter quas Ecclesia plures gradus interdixit. Respondeo: planè oportet. Et si quæras, quæ sint istæ rationes:

Audi Sanchium sup. n. 3. Convenientissima inquit, est prohibitio consanguinitatis in gradibus ab Ecclesia interdictis. Primò, propter reverentiam, quam cognati sibi metipsis exhibere debent, ob originem ab eodem stipite tractam, & sanguinis communionem. Cui reverentiæ valde detrahit actus conjugalis, habetque turpitudinem quamdam ipsi contrariam. Quomobrem ipsi conjuges pudore quodam suffunduntur, & verecundiâ quâdam inter seipos conceptâ actu illo utuntur.

Hæc ratio affertur à D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 9. in corp. atque à D. Bonav. 4. dist. 40. a. 1. q. 2. in corp. ubi sic ait: Vinculum consanguinitatis impedit Matrimonium in aliquo sui gradu propter dictamen legis naturæ; in aliquo vero propter prohibitionem legis divinæ; in aliquo propter statutum Ecclesiæ. Vinculum consanguinitatis, quod est stipitis ad prolem, impedit propter dictamen naturæ. Vnde naturale est apud omnes, quod filius non jungatur matri, & quod filia non jungatur patri.

Et si quærat ratio hujus, est dicendum, quod hoc est propter reverentiam & honorem, qui debet exhiberi patri & matri, & ideo non debent commisceri. Vel propter generationis successionem, qua debet procedere, non retrocedere. Vnde non debet proles genita conjungi suo principio, ut gignat. Et hinc est, quod natura dicitur, quod alio affectu tractandi sunt parentes, alio affectu tractari debent conjuges. Ideo propter dictamen naturæ impeditur Matrimonium per consanguinitatis primum vinculum, quæ est prolis genitæ ad suum principium.

Propter prohibitionem legis Divinæ impeditur Matrimonium per consanguinitatem usque ad secundum gradum, sicut patet per Levit. 18. cap. ubi fit prohibitio usque ad secundum gradum. Et si quærat ratio hujus, dicendum, quod hoc est propter honestatem, qui enim mulierem cognoscit, revelat ejus turpitudinem, & discooperit ignominiam, & hoc inhonestum est facere propinqua; maxime cum honestas dicitur, quod soror non est tractanda, ut uxor: & hinc est,



est, quod in precepto suo Dominus dicit: Non cooperies turpitudinem ejus.

Propter statum Ecclesie à. 2. gradu & deinceps.

Uterius propter statutum Ecclesie impeditur Matrimonium a secundo gradu & deinceps. Et si quærat ratio hujus, dicendum quod hoc statutum fuit propter dilectionem dilatandam: quia enim homo pronus est ad diligendum sibi propinquum, & Matrimonium aggravat propinquitatem, & dilectionis mutua præstat fomentum; hinc est, quod Ecclesia statuit, ut amor ad extraneos extenderetur, ut Matrimonia extra propriam parentelam contraherentur, & ita non solum in secundo, sed etiam deinceps propter dilatandam charitatem, & propter ampliandam honestatem.

225. Duplex ratio hujus statuti.

Igitur secundum Doct. Seraphicum duplex est ratio, ob quam Ecclesia addidit alios gradus usque ad quartum, scilicet propter honestatem, & deinde propter charitatem seu dilatandi charitatem, id est, amicitiam.

Sanchez.

Quæ utique amicitia est maximum civitatis bonum, ut ex Aristotele notat Sanchez sup. dicens: Decet Matrimonia iniri eo pacto, ut deserviant bono publico politico. Cum enim homo fit suapte naturâ animal politicum, ex Aristotele 1. Polit. c. 2. debet eo Matrimonio copulari, quod ad publicum civitatis bonum conducatur. Hoc autem petit consanguineos & affines non jungi Matrimonio. Quod hi foedere consanguinitatis & affinitatis satis devincti sunt: & eo inito, impeditur amicitia vincula protendi, quam esse maximum civitatis bonum asserit Aristoteles 2. Polit. c. 2. ad finem. Ita Sanchez.

Arist.

226. Tradita fuit à D. Aug.

Atque hæc duplex ratio prius tradita erat à D. Aug. lib. 15. de Civit. c. 16. ubi circa finem lego sequentia verba: Vnde jam pleno hominibus orbe terrarum, non quidem forores ex patre, vel matre, vel ex ambobus suis parentibus natas, sed tamen amabant de suo genere ducere uxores. Verumtamen quis dubitet, honestius hoc tempore etiam consobrinarum prohibita esse conjugia: non solum secundum ea, quæ disputavimus propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas necessitudines una persona, cum due possint eas habere, & numerus propinquitatis augeri: sed etiam, quia nescio, quomodo inest humana verecundia quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet causâ propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.

227. Alie due rationes ex Sanchez, desumpta ex D. Tho.

Sed & præter has rationes, alias duas assignat Sanchez sup. quas refero verbis Doct. Angelici sup. ex quo desumptæ sunt. Secunda ratio est; quia personas sanguine conjunctas necesse est ad invicem simul conversari. Vnde si homines non arcerentur à commissione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venerea commissionis, & sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam. Et idem in veteri lege illa persona specialiter videtur prohibita esse, quas necesse est simul commorari. Et infra: Addit autem Aristoteles quartam rationem in 2. Polit. quia cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor, qui est ex commissione venerea, feret nimius ardor amoris & maxi-

imum libidinis incentivum, quod castitati repugnat.

Dic ergo, & intus dic, quia sic est ut dicis, convenientissima est prohibitio consanguinitatis in gradibus ab Ecclesia interdictis. Eamque non esse ab heri aut nudius tertius, id est, non esse novam ac olim incognitam, ut calumniantur hæretici, liquidò constat ex juribus sup. allegatis, in quibus prohibetur Matrimonium usque ad septimum gradum. Nam Alex. 2. sedit anno 1062. Gregorius autem 400. annis ipsum antecessit, & Iul. 1. plus 200. annis ipsum præcessit Gregorium.

Prohibitio consanguinitatis non est nova, ac olim incognita.

Cæterum si à me quærat, num duo consanguinei, inæqualiter distantes à stipite, si alter distet ultra quartum gradum, alter verò intra illum, an, inquam, possint Matrimonio copulari? Respondeo citius, posse; estò etiam alter distaret à stipite in primo gradu, arg. cap. fin. de Consang. sequentis tenoris. Vir qui a stipite quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere distat quinto, secundum regulam approbatam, quæ dicitur: Quoto gradu remotior distat à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem, licite possunt matrimonialiter copulari.

228.

An duo consanguinei, quorum unus distat in 1. gradu, alter in 5. possint simul contrahere.

Ubi Gloss. verb. Quarto, inquit: Idem esset, videtur, si tertio vel secundo, secundum regulam sequentem: quòd sic, quia nihil attinet ei, qui est ex alia linea in quinto, licet magis appropinquet communi parenti. Infero ego: ergò etiam idem esset, si primo gradu. Quæ enim disparitas?

Quia, inquis, qui contrahit in primo gradu, perinde est, ac si contraheret cum ipso stipite; cum filia stipitis sit cum ipso una caro, unde in infinitum est hæc prohibitio, sicut cum ipsis ascendentibus & descendentibus.

Ita docet Hostiensis Sum. tit. de Consanguineis §. Vsq. ad quatum gradum. n. 11. ver. Sed nunquid in primo & quinto? Non puto, inquit ille, & sic abnepos, qui quinto gradu distat à stipite, non poterit contrahere cum filia stipitis, sicut nec cum stipite posset: imò videtur, quòd in infinitum prohibeatur contractus.

229.

Oppositum docet Hostiensis.

Et probatur: ff. de Ritu nupt. fororis proneptem idem ducere prohibeor, quia ei parentis loco sum: ergò in infinitum. Quod etiam taliter comprobo: in veteri testamento filij duorum fratrum, qui in secundo gradu sunt, licite contrahunt, & tamen inter matertram & nepotem non potest Matrimonium contrahi, licet in secundo gradu sibi attineant, ut sup. de Rest. spol. Litteras.

Probat ex ff. de Rit. nupt. & veteri testamento.

Ratio diversitatis hæc est; quia in primo est secundus gradus transversalis, in alio descendens; & dicit regula juris civilis, quòd cujus filiam ducere non licet, ejus neque neptem permittitur; quòd semper verum est in linea recte descendenti; & sic patet, quòd cum quibus stipites contrahere non potest, nec filius ejus; unde omnes illi, qui sunt nepotes stipitis, nepotes vel neptes filij sui dicuntur, & sic in infinitum.

230.

Ratio arvev-juitatis.

Et est ratio: quia filia & stipites una caro probantur, adeoque etiam, secundum quosdam, inter ipsos nullus gradus reperitur; unde incipiunt



primum gradum computare à nepotibus, secundum quos hodiè quartus gradus exclusivè prohibetur. Est ergò filius una persona cum patre &c. Ita Hostiensis.

231. *Alij plures docent hanc sententiam.* Nec ipse solus illam sententiam docet, sed & alij plures cum ipso, quos citat Sanchez sup. n. 5. ubi tenet oppositam sententiam, eamque vocat communissimam; sed non solvit argumenta Hostiensis, fortè quia putavit obviam habere solutionem.

*Probatur sententia opposita, quæ est Sanchezij.* Sed quæ illa? Respondeo: quidquid sit de lege veteri, quæ amplius non obligat, ut superius ostendimus, uti nec jus civile, postquam Matrimonium elevatum fuit ad rationem Sacramenti; d. cap. fin. approbat generalem regulam, aut approbatam declarat, quæ dicitur: *Quoto gradu remotior distet à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendantium ex eodem.* Sed in casu proposito remotior à stipite distet ultra quartum gradum; ergò ambo, juxta computationem juris Canonici, erunt consanguinei inter se, ultra quartum gradum; ac proinde nulla erit prohibitio Matrimonij inter illos, ut ex dictis patet.

232. *Resp. ad arg. quoddam Hostiensis.* Quid ergò ad argumentum Hostiensis: Filia & stipites sunt una caro. Respondeo: improprie solum filia dicitur una caro cum stipite, in quantum scilicet habet carnem, ab eo immediate participatam; & ideo, qui contrahit cum filia, non nisi improprie dicitur contrahere cum stipite; nisi velis admittere, principio mundi filios Adami contraxisse cum stipite, scilicet cum Eva, & filias Adami contraxisse cum ipso Adamo, & ita licuisse quandoque Matrimonium filij cum matre, & filiarum cum patre.

Admittere etiam debebis, non posse Pontificem in tali Matrimonio dispensare; quippe qui non possit dispensare in linea recta. Porro si Matrimonium abnepotis cum filia stipitis est Matrimonium cum stipite; liquet profectò, quòd sit Matrimonium in linea recta; cum stipites sit in linea recta. An autem hoc admitteret Hostiensis, valdè dubito.

233. *In veteri lege non fuit prohibitum Matrimonium patrui cum nepte.* Sanè in veteri lege, quamvis prohibitum foret Matrimonium materteræ cum nepote; non tamen legitur prohibitum fuisse Matrimonium patrui cum nepte. Et tamen semper prohibitum fuit Matrimonium cum stipite. Si ergò tunc licuit nepti contrahere cum filio, cur hodiè non licebit abnepoti contrahere cum filia, aut abnepoti contrahere cum filio?

234. *Objectio ex c. 3. de Consang.* Sed dicit aliquis: dicta regula: *Quoto gradu remotior &c.* neque secundum jus Canonicum est generalis, ut patet ex cap. *Quòd dilectio*, 3. de Consang. ubi quæritur, an si dispensetur cum aliquo, ut possit contrahere in certo gradu, aliàs prohibito, v. g. sexto, qui olim erat prohibitus, requiratur, quòd uterque contrahentium distet illo gradu. Et allegatà istà regulà pro parte negativa, respondet Pontifex Cælestinus 3. *Quòd indulgentia illa sic est intelligenda, quòd uterque conjugendorum distet à stipite sexto gradu. Si verò alter sexto vel septimo gradu distet à stipite, alter autem secundo vel tertio, conjugi non debent.* Ergò multò minùs conjugi debent, si al-

ter primo gradu distet.

Respondeo: hoc argumentum non magis premit nos, quàm Hostiensis, & cæteros omnes DD. qui unanimiter admittunt, licere Matrimonium quando unus distat 5. gradu, alius autem secundo vel tertio.

Hinc Hostiensis sup. ad hanc objectionem ait: *Quòd solutio est in litera.* Illud enim contingit propter multitudinem & consuetudinem, quæ scandalum generabat in regione illa, de qua loquitur, si in quinto & sexto gradu remaneret conjugati. Undè si hodiè idem contingeret in aliqua terra certa, de conjunctis quinto & quarto gradu idem fortè estet dicendum, nec esset standum Gregorianæ, ut notavi sup. de Cognat. spirit. §. *Quis sit effectus*, vers. *Effectus verò tertius.* Hæc ille.

Quæ ne gratis dicta videantur, describo verba Pontificis immediate subsequenti. *Vndè in hac parte consultius duximus, multitudini & observata consuetudini deferendum; quam aliud in dissensionem & scandalum populi statuendum, quòdam adhibita novitate.*

Aliam solutionem subjungit Hostiensis, quam tamen improbat dicens: Sed aliqui judaizantes faciunt vim in verbis indulgentiæ: quia fuit indultum, quòd in sexto, & non fuit dictum, quòd sexto gradu distantes possent contrahere; & aliud est esse in sexto, & aliud distare. Ecce solutio.

Sequitur ejus reprobatio. Is, inquit, intellectus corrigitur 35. q. 3. §. *Hæc auctoritate, & cap. preced. contradicimus*, & in ead. Decretali. *Quòd dilectio*: quia satis apparet ibi, utrùm Papa faciat vim in verbis, vel in consuetudine, & multitudine, & scandalo. Item infra eod. *Non debet*, nihil aliud permittere videtur, nisi quod in quinto gradu contrahere possint; & sic secundum eum, qui faceret vim in verbis, falsa esset Gregoriana.

Nec est dicendum, quòd abrogetur Decretalis, quæ loquitur de sexto, & septimo gradu (hæc posset esse tertia solutio) non enim juri derogatur, sed exemplis, quæ ponit in antiqua. Sed & illa ponit ex certa scientia, ut habeamus materiam ad tractandum, quid juris hodiè, sicut & quid juris fuit quondam. Hucusque Hostiensis.

Nota autem pro intellectu ultimæ solutionis, Gregorianam, per quam intelligitur cap. fin. de Consang. quòd est Greg. 9. esse posteriorem Decretali, quæ loquitur de sexto & septimo, est quæ cap. *Quòd dilectio*; nam hoc cap. est Cælestini tertij, qui præcessit Greg. 9. 30. annis. Et fortè tempore Cælestini dicta regula: *Quoto gradu &c.* nondum erat approbata; nec enim eo cap. dicitur approbata, sed simpliciter: *Quòd videtur posse fieri secundum regulam, quæ dicitur: Quoto gradu quis &c.* At verò cap. fin. approbata declaratur, ut sup. vidimus. Cùmque non distinguat inter primum, & secundum gradum, neque nos oportet distinguere, cū evidens ratio distinguendi non occurrat, ut ex dictis patet. Atque hæc satis de Cognatione carnali sive consanguinitate. Sequitur Cognatio spiritualis, pro qua erit.

CON-

235.  
Resp. Hostiensis.

236.  
Alia solutio, ex eod.

Reprobatio.

237.  
Tertia solutio.

Notandum pro intellectu hujus solutionis.



CONCLUSIO IV.

Cognatio spiritualis impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum. Hodie oritur ex Baptismo tantum & Confirmatione; solumque inter personas nominatim expressas à Concil. Trid.

238. Datur cognitio aliqua spiritualis. Et quæ sit illa declaratur ex Doct. Seraph.

**D**Ari aliquam cognationem spiritualem, apud omnes Catholicos in confesso est. Eam Doct. Seraphicus 4. dist. 42. a 1. q. 1. declarat hisce verbis: Dicendum, quod spiritualis cognatio est & esse debet; & hoc propter conformitatem spiritualium ad carnalia. Sicut enim est carnalis generatio, in qua est vinculum, & quidam amor naturalis; sic & spiritualis regeneratio per Sacramenta aliqua, & per illam similiter aliquod vinculum acquiritur & amor spiritualis; & ideo in illis Sacramentis præcipue contrahitur; in quibus est regeneratio. Quoniam igitur dispositio ad regenerationem est in Catechismo, regeneratio in Baptismo, regenerationis consummatio in Confirmatione; hinc est, quod in his tribus, secundum communem opinionem, contrahitur cognatio; sed tamen, quia in catechismo non est vera regeneratio, ideo non contrahitur ibi vera cognatio, nec alligatio fortis, sed aded exilis, ut, sicut dictum est, non dirimat Matrimonium jam contractum, & vix impediatur contrahendum. Ita D. Bonav.

239. Item ex Doct. Angelico.

Consimiliter loquitur D. Tho. ead. dist. q. 1. a. 1. in corp. Dicendum, quod sicut per carnis propagationem homo accipit esse naturæ, ita per Sacramenta accipit esse spirituale gratiæ. Unde sicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur, est naturale homini, in quantum est res quedam naturæ; ita vinculum, quod contrahitur ex Sacramentorum susceptione, est quodammodo connaturale alicui, in quantum est membrum Ecclesiæ: Et ideo sicut carnalis cognatio impedit Matrimonium, ita spiritualis ex Ecclesiæ statuto. Ita Doct. Angel.

240. Quia sit cognitio spiritualis, ex Scoto.

Quid ergo, inquis, est cognitio spiritualis? Respondet Doct. Subtilis ead. dist. q. un. n. 2. Quoddam vinculum contractum ex dispensatione Sacramentorum, specialiter Baptismi & Confirmationis. Quia sicut habetur extra de cognat. spirit. in 6. cap. Quamvis §. ult. Ex datione aliorum Sacramentorum, à Baptismo & Confirmatione, cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ Matrimonium impediatur vel dissolvat. De qua & ejus gradibus habetur extra de Cognat. spirit. in 6. libro.

Hanc cognationem dirimere. Mair. Probatur ex c. 1. de Cogn. spirit. in 6.

Rogas, quid habeatur? Iam edissero. Cap. 1. sic sonat: Nedum inter Baptizatum, & illum, qui eum suscepit de Baptismo, ac inter eundem Baptizatum, & suscipientis filios, & uxorem, ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem, imò etiam inter suscipientem, patremq; baptizati, & matrem, cognationem spiritualemente contrahi, jure constat: quæ cognatio & contrahendum Matrimonium impedit, & dirimit post contractum. Et eadem, quæ de suscipien-

te sunt dicta, sunt etiam de baptizante censenda.

Ex Confirmatione quoque, seu frontis Chrismatione, spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, Matrimonia similiter impediens contrahenda, & dissolvens post contracta. Ita Bonif. 8.

Proinde eo tempore triplex erat species cognationis spiritualis, nimirum paternitas, compaternitas & fraternitas. Paternitas inter baptizantem & baptizatum, & inter confirmantem & confirmatum, & similiter inter patrinum seu suscipientem baptizati, vel confirmati, & baptizatum, vel confirmatum. Compaternitas inter parentes baptizati, vel confirmati, & baptizantem vel confirmantem, & patrinus Baptismi vel Confirmationis. Atque ita parentes baptizati vel confirmati, erant compateres baptizantis vel confirmantis, & patrinorum.

Et duplex hæc cognatio transfundebatur à viro in uxorem, ita, ut eo ipso quod vir baptizaret, aut confirmaret, vel esset Patrinus, uxor contrahebat eandem cognationis spiritualis speciem cum eisdem personis, eò quod sit una caro cum viro; cap. Martinus, 4. de cognatione spirit. ibi: Nos autem consultationi tuæ duximus respondendum, quod cum, secundum verbum Domini, vir & mulier efficiantur per connubium (id est, per carnalem copulam, inquit, Gloss. ibi) una caro, liquidum est, Tebergam non posse Matrimonialiter copulari Martino, qui compater ejus (scilicet Lotharig, inquit Gloss. ibid.) fuerat, cum quo una caro Teberga noscitur extitisse.

Tandem fraternitas erat inter filios carnales baptizantis, vel confirmantis, vel patrinorum, & ipsum confirmatum vel baptizatum. Itaque baptizatus, vel confirmatus, erat confrater filiorum baptizantis, vel confirmantis, & filiorum ipsius patris, & matris.

Et olim quidem hæc res ita se habebat: verum procedente tempore experientia docuit, non expedire bono Ecclesiæ, & animarum sibi creditarum, tam multiplicem cognationem; ideoque Concil. Trid. partim eam abstulit, & partim restrinxit, ut patet ex cap. 2. sess. 24. de reformatione Matrimonij, quod sic incipit. Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia; in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque S. Synodus huic incommodo providere, & à cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum & baptizantem, baptizatiq; patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur.

Et in fine ejusdem cap. idem statuit de Confirmatione, dicens: Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.

Itaque sublata omnino est fraternitas; quia nulla omnino mentio fit in his verbis filiorum bapti-

241. Eo tempore erat triplex species cogn. spir.

242. Paternitas & compaternitas transfundebatur à viro in uxorem.

Inter quos tunc fuerit fraternitas.

243. Quid circa hanc cognationem disposuerit Trident.

244. Fraternitas bapti-



est omnino sublata: Restricta autem paternitas.

De hac restrictione aliquando dubitatum fuit, ex Bulla Pij 5.

245. Declaratio dubij.

246. Compaternitas non contrahitur inter baptizantem & paternos.

Nequo inter ipsos paternos inter se.

Sanchez.

Vir & uxor simul loquantes non privantur

baptizantis vel confirmantis vel patrinorum. Restricta autem est paternitas; cum inter personas, ibi enumeratas, non contineatur uxor.

Dices: continetur sub viro, eo quod sint una caro. Quare ab Aliquibus dubitatum fuit tempore Pij 5. num adhuc transfunderetur paternitas & compaternitas ad uxorem. Patet ex Bulla ejus 14. apud Cherubinum Declarat. 2. quae incipit: Cum illius vicem, §. 1. Sane licet ex eo, quod in Concil. Trident. decretum fuerit, cognationem spiritualem inter eos tantum contrahi, qui suscipiunt baptizatum de Baptismo, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem, in reliquis personis, quae per antiquos Canones occasione cognationis hujusmodi contrahere prohibebantur, omne impedimentum sublatum esse videatur; adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus; an saltem impedimentum cognationis spiritualis hujusmodi inter maritum, vel uxorem suscipientis & baptizatum, nec non inter maritum vel uxorem suscipientis, & patrem ac matrem baptizati vigeat, propterea, quod prohibitum de uno conjuge, de altero etiam prohibitum videatur. Ecce dubium, & ratio dubitandi.

Sequitur declaratio dubij: Nos piarum mentium quieti, & Matrimoniorum favori (quantum ex alto nobis permittitur) consulere volentes, a praecisis verbis Concilij minime discedendum in praemissis esse consuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis hujusmodi subesse decernimus, & declaramus, quod minus inter dictos maritum vel uxorem suscipientis, & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem, & quascumque alias personas, tam ex parte suscipientis, quam baptizantis & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expressas, Matrimonium liberè & licitè contrahi possit, & ita ab omnibus judicari debere mandamus atque statuimus.

Igitur de hac restrictione paternitatis & compaternitatis non est amplius dubitandum. Uti etiam de alia restrictione compaternitatis, ut non contrahatur inter Baptizantem vel confirmantem, & paternos; quippe nec haec personae in dicto Concilio nominatim sunt expressae.

Idemque sentiendum de ipsismet patrinis inter se collatis, ita ut si vir & foemina sint simul patrimi, possint inter se liberè & licitè Matrimonio jungi. Quia (inquit Sanchez lib. 7. disp. 54. n. 12.) omnes fatentur jure antiquo id impedimentum non oriri inter eos. Nec Trid. voluit cognationem hanc praetendere, sed coarctare.

247. Quare dum Tridentinum sess. 24. de Matr. c. 2. sic ait: Ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum cognatio contrahatur, non est sensus illius particulae, Inter quos, ut inter illos paternos inter se haec cognatio oriatur, sed inter illos & alias personas ibi enumeratas, nimirum baptizatum & ipsius parentes. Ita Sanchez cum Aliis, quos citat.

Quare, infert idem Auctor, n. 13. si vir & uxor simul alienum puerum de sacro fonte levent, nullatenus privantur jure exigendi debi-

tum; quippe nullam contrahunt inter se cognationem. An autem priventur eo jure, si proprium puerum levent, dicam alio loco magis proprio.

Impresentiarum quaero; an Decretum Trid. jam allegatum, non solum accipiendum sit de cognatione spirituali imposterum contrahenda; sed etiam de contracta ante illud Decretum, ut similiter restricta censeatur.

De hoc dubitatum fuit tempore Pij 5. ut patet ex ejus Bulla sup. allegata Declarat. 1. quae sic incipit: Sanctissimus in Christo Pater & Dominus D. N. Pius divina providentia Papa 5. ad cuius notitiam pervenit, quod cum in Decretis Sacri Concil. Tridentini certa tantum persona enumerentur, inter quas dumtaxat cognatio spiritualis deinceps contrahatur, ab aliquibus revocatur in dubium; an qui ultra personas, in dictis Decretis enumeratas, quoquo modo cognatione spirituali ante confirmationem dicti Concilij conjuncti erant, absque dispensatione Apostolica Matrimonium post dictam confirmationem contrahere potuerint, ac hodie & de cetero contrahere possint, cum ante praedictam confirmationem id facere de jure minimè liceret.

Ad hoc dubium sic respondet Pontifex ibi §. 2. Sanctitas sua ad tollendum omne dubium, eos, qui ante confirmationem praedicti Concilij cognationem spiritualem contraxerunt, dummodo non sint ex personis, in dictis Decretis enumeratis, & inter quas tantum Concilium voluit deinceps contrahi hanc cognationem spiritualem, Matrimonij vinculo inter se absque dispensatione aliqua liberè & licitè copulari posse, ac Matrimonia, etiam post confirmationem hujusmodi, absque dispensatione Sedis Apostolicae inter eas jam contracta, valere, plenamq; roboris firmitatem obtinere.

Cum autem Concilium Trident. sup. non distinguat inter parentes legitimos, & illegitimos, neque nos debemus distinguere; sed intelligere Decretum de patre & matre carnalibus, sive legitimis, sive illegitimis. Quia (inquit Sanchez sup. n. 16.) ante Tridentinum eam cognationem contrahebant, ut docet Glossa cap. 1. de Cognat. spirit. in 6. verb. Et Matrem, dicens: Nota: non dixit, patrem baptizati, & ejus uxorem, imò dixit, matrem; si igitur de prima uxore vel concubina vir procreet filium, ille qui levat filium, est compater concubinae & viri, sed non ejus uxoris, ut sup. dixi. At Tridentinum cognationem hanc, cum parentibus contractam, nullatenus restrinxit, ut constat ex contextu.

Et ita sentiunt Navar. & alij, qui post Trid. Navar. scripsere, & tamen docent, eum, qui filium suae concubinae baptizat, non posse eam ducere, ratione cognationis spiritualis, inter eos ex illo Baptismo confurgentis.

Quare parentes legales, nimirum adoptivi ipsius baptizati vel confirmati, nullam prorsus cognationem contrahunt cum ea Sacramentalibus conferentibus, aut cum patrinis. Quia nec antiquitus eam contrahebant: & textus loquens de parentibus est intelligendus de naturalibus, ut potè qui soli veri parentes sunt. Sic Sanchez.

Si

jure copula. An Trid. intelligatur etiam de cognatione amica contracta.

249. Patet, quod si Bulla Pij 5.

250. Non est distinguendum inter parentes legitimos & illegitimos, ex Sanctis.

251. Parentes legales non contrahunt cognationem.



Hæc cognatio dirimit Matr. jure Ecclesiastico.

Si autem à me quæretur; quo jure hæc cognatio impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat post contractum? Respondeo cum communi sententia, jure Ecclesiastico; cap. 1. de Cognat. spirit. in 6. sup. allegato, cap. Veniens, 6. cod. tit. lib. 4. ibi: *Mandamus, quatenus si consisterit H. mulierem, prædicti viri filium de sacro fonte levasse, antequam eam desponsasset uxorem, vos inter eos divortium appellatione postpositâ celebretis.*

252. Patet ex Trident. quod dirimat.

Et multis aliis textibus idem effectus infinuatur, atque manifestè à Trident. sup. supponitur, ibi: *In quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Si enim Matrimonium non foret invalidum, sine magno peccato in eo perseveraretur, neque opus esset illud dirimere cum magno scandalo, ut clarum est.

Planè, inquis, supponit Concilium, Matrimonium fore invalidum, uti & alia jura citata; sed quod solo jure Ecclesiastico, nusquam dicunt. Ex quo ergò id constat?

253. Probatur non dirimere ex jure naturali aut divino.

Respondetur; quia non ex jure naturali, aut Divino positivo. Primum probatur; quia ipsa Sacramenta, ad quorum collationem inducitur hic effectus, nullum in jure naturali habent fundamentum, sed ex sola institutione Christi inceperunt; ergò neque hæc cognatio. Et multò minus, quòd sit impedimentum dirimens, fundatur in jure nature; sed ad summum in institutione Christi. Sed neque in illa; quia nullus in sacra pagina locus invenitur, ubi de hac cognatione mentio fiat, saltem ut est impedimentum dirimens.

Quod addo: quia dicere quis posset, fit mentio de hac cognatione in ipsâ institutione Baptismi & Confirmationis, utpotè institutâ per modum regenerationis, sive imperfectæ per Baptismum, sive completæ & perfectæ per Confirmationem. Hinc Doct. Angel. ut sup. audivimus, ait: *Vinculum, quod contrahitur ex Sacramentorum susceptione, est quodammodo naturale alicui, in quantum est membrum Ecclesie.* Dicit: *Quodammodo naturale;* quia supponit institutionem istorum Sacramentorum, per modum regenerationis.

254. Est sententia D. Tho.

Quando igitur statim subiungit: *Et ideo sicut carnalis cognatio impedit Matrimonium, ita spiritalis ex Ecclesia statuto, tantum intendit, hunc effectum impediendi & dirimendi Matrimonium provenire, non ex jure naturali, aut Divino positivo, sed ex statuto Ecclesie.* Quòd autem ipsum vinculum amicitie seu cognationis spiritalis consurgat ex statuto Ecclesie, quomodo ex illis verbis rectè inferatur?

Rejicitur definitio cognationis spiritalis à Sanchez tradita.

Unde non placet Sanchez, quando sup. n. 1. ait: *Cognatio spiritalis sic communiter à Doctoribus definitur: Est propinquitus quædam personarum ex statuto Ecclesie consurgens propter collationem Baptismi vel Confirmationis, vel susceptionem* Basco de Matrim. Pars II.

recipientis hæc Sacramenta.

Ex qua definitione n. 2. deducit: hæc cognationem spiritualem ex Baptismo & Confirmatione ortam, non esse ex jure Divino naturali, aut ex Divino positivo, sed ex solo Ecclesiastico. Quod, inquit, affirmat D. Thomas ab omnibus receptus 4. dist. 42. q. 1. a. 1. in corp. sic ille.

Sed non placet, ut dixi, siquidem D. Thomas non ait, cognationem spiritualem oriri ex statuto Ecclesie; sed impedire Matrimonium ex statuto Ecclesie, quæ longè sunt diversa; ut patet in cognatione naturali, quæ contrahitur ex naturâ rei per carnis propagationem, estò in linea transversali, saltem in secundo & ulterioribus gradibus, solum ex statuto Ecclesie impedit Matrimonium.

Atque huic cognitioni D. Thomas sup. comparat cognationem spiritualem, & illam vocat naturalem, hanc autem quodammodo naturalem; sed quòd hæc, sicut dixi, supponat institutionem supernaturalem Sacramentorum, illa autem solam propagationem naturalem.

Igitur Sanchez sup. in definitione cognationis spiritalis de suo addidit *ly ex statuto Ecclesie*; nam apud Doctorem Angelicum non reperitur; sed neque apud Doctorem Seraphicum: nam sup. in expositione litteræ definiit eam, dicens: *Cognatio spiritalis est propinquitus aut proximitas proveniens ex Sacramenti donatione, vel ad id neesse.* Similiter Doctor Subtilis in definitione suâ, superius adductâ, non meminit statuti Ecclesie. Quàmvis alioqui uterque cum D. Thoma doceat, cognationem spiritualem dirimere Matrimonium ex statuto Ecclesie.

D. Bonaventura sup. q. 2. in corp. sic ait: *Dicendum, quòd cognatio spiritalis potest siqui aut precedere Matrimonium. Si sequatur, generaliter verum est, quòd non potest infringere Matrimonii vinculum. Sed tamen quantum ad jus solvendi debitum, distinguendum: quia hoc aut factum est neesse, ut puta quando parvulus est in periculo mortis, & non est quâ baptizat eum: aut ex ignorantia; aut ex industria. In primo casu simpliciter non amittit jus petendi nec solvendi. In secundo casu similiter, si fuit diligentia; non amittit. In tertio casu amittit jus petendi, qui hoc facit: tamen quia non debet peccatum suum alteri imputari, tenetur reddere.... Si autem cognatio spiritalis præcedat Matrimonium, illa, inquam, quæ contrahitur per Baptismum & Confirmationem, sic impedit contrahendum & dirimit contractum, pro eo quòd facit simpliciter illegitimas personas. Et ideo si videatur vinculum contrahi, non tamen contrahitur.* Hæc ille.

Ubi nondum determinat, quo jure id fiat: sed infra respondens ad quamdam objectionem, satis significat id fieri jure Ecclesiastico. Hæc est obiectio: Plus facit, qui aliquem de errore trahit ad fidem, quàm qui Bapti-

255. Cognatio spiritalis an oriatur ex statuto Ecclesie.

Comparatur à D. Tho. cognationi naturali.

256. Ostenditur error Sanchez.

257. Sententia Doct. Seraph. de hoc impedit memo.

258. Quo jure dirimat, ex cod.



fatum levat de fonte. Sed si quis convertat aliquam ad fidem, non impeditur cum ea contrahere: imò potest sponsalia contrahere cum hac conditione: si velit ad fidem venire: ergò nec impeditur si levat de fonte, quin etiam possit contrahere. En objectio.

Videtur quòd iure Ecclesiastico.

Sequitur solutio D. Bonaventuræ Ad illud, inquit, quod obijcitur de illo, qui revocat ab errore, dicendum, quòd illud vinculum ( scilicet ad prædictum effectum, de quo ibi tractat ) non solum facit impensio beneficii; sed etiam statutum Ecclesiæ Christi. Si autem quæras, quare magis instituit Ecclesiæ. Dicendum, quòd per nullam instructionem dicitur homo generari, sed solum ad generationem disponi: in Baptismo autem est vera generatio: & ideo non sic contrahitur vinculum, quòd præstat Matrimonio impedimentum per documentum Fidei, sicut per Sacramentum Baptismi.

259. Idem docet Scotus.

Consonat doctor Subtilis sup. ibi: *Quantum autem ad illud, quòd quaritur (scilicet, utrum cognatio spiritualis impediatur Matrimonium) dico, quòd si præcedat Matrimonium, simpliciter impedit ( id est, impedit & dirimit ) sicut patet in cap. ad oppositum præallegato, Veniens. Si sequatur Matrimonium non dirimit, sicut patet ex primo argumento. Et ratio primi non est, nisi statutum Ecclesiæ, illegitima personam in casu illo. Hæc ille.*

Manus Sufceptoris nullatenus est à Christo.

Et tamen, nec Doctor Seraphicus, nec Scotus in suis definitionibus meminerunt statuti Ecclesiæ. Interim munus susceptoris sive in Baptismo, sive in Confirmatione, nullatenus à Christo institutum fuit; sed merè ab Ecclesiâ superadditum; ita ut in privato Baptismo, secundum multos Doctores, nullus susceptor debeat, nec verò possit adhiberi. Proinde dici non potest, cognationem spiritualem, quæ ex susceptione oritur, esse juris Divini; cum nec ipsa susceptor sit juris Divini, sed juris merè Ecclesiastici. Sed de his plura inferius.

Quidquid sit de ipsâ cognatione secundum se, certum est, quòd impedimentum dirimens proveniat ex solo iure Ecclesiastico: quia neque ex naturâ rei est sufficiens repugnantia inter eam cognationem, & Matrimonii vinculum, ut clarum est; neque ex iure Divino, cum nusquam in Scriptura tale impedimentum vel leviter insinuetur; sed neque traditione, nisi fortè Apostolicâ, constitutum reperitur.

260. A quo tempore fuerit institutum hoc impedimentum, ex Pontio.

Et si quæras, à quo tempore institutum fuerit hoc impedimentum? Forsan ( inquit Pontius lib. 7. cap. 39. n. 2. ) ex Apostolorum traditione derivatum. Ego quidem primam legem scripto latam non reperio ullam ante Canonem 21. Concilii Nicæni ( apud Turrianum ) *Nemo fidelium cum patre aut matre spirituali Matrimonium contrahat ( id est, cum patris aut matris ) & qui hoc commiserit, habeatur tamquam ethnicus, quòdque separetur.*

Est etiam Canon 53. Synodi in Trullo: *Quoniam spiritualis cognatio corporum conjunctione*

major est, novimus in quibusdam locis exceptores puerorum ex sancto & salutari Baptismate, postea cum matribus illorum viduis Matrimonium contrahere: statumus ne in posterum tale aliquid fiat. Si verò secus fecerint, hi quidem primò ab illicito Matrimonio separentur, deinde fornicatorum penis subijciantur.

Inde postea plures alii Canones emanarunt, quibus ea cognatio stabilita, & diversi gradus distincti, & connubia, ejusmodi vinculo interveniente, prohibita ac irritata: quæ videre poteris apud Gratianum in Decreto 30. q. 1. & 3.

Sed dicit aliquis: video apud Gratianum 30. q. 1. video, inquam, c. 8. & ibi lego sequentia verba: *Omnes quos in penitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filij, ut & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel trina personis vocabulo mergentibus, unda sacri Baptismatis regeneravit.* Ergò non ex solo Baptismo & Confirmatione oritur cognatio spiritualis, quòd videtur contradictorium secundæ partis nostræ conclusionis.

Respondeo: Conclusio loquitur de cognatione spirituali, quæ impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum, ut patet ex prima parte; camque negat contrahi hodie, id est, secundum jus novum, quòd hodie in Ecclesiâ observatur, ex alio Sacramento, quam Baptismo & Confirmatione, ut disertis verbis dicit Bonifacius VIII. cap. fin. de Cognatione spirituali in 6. in fine: *Ex datione verò aliorum Sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ Matrimonium impediatur, vel dissolvatur.*

Ubi Glossa verb. *Sacramentorum*, inquit: *Scilicet Penitentia, Corporis Christi, Extrema Unctio, Ordinis & Conjugii.* Rationem adjungit: *Quare ex Renascimur enim in Baptismo, & Chrismatio frontis illam confirmat: quòd non est in aliis Sacramentis: & ideo per ista spiritualis contrahitur comparitas, non per illa.*

Atque hanc eandem rationem sup. retulimus ex Doctore Seraphico, & modò transferibemus ex Doctore Angelico sup. a. 2. ad 1. Dicendum, inquit, quòd duplex est carnalis nativitas. Prima in utero, in quo adhuc id, quòd natum est, est adedò debile, quòd non possit extra exponi sine periculo; & huic nativitati similatur generatio per Baptismum, in quo regeneratur aliquis adhuc quasi fovendus intra uterum Ecclesiæ. Secunda est nativitas ex utero, quando jam id quòd natum erat, tantum roboratum erat, quòd potest sine periculo exponi exterioribus, quo nata sunt corrumpere, & huic similatur Confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publico ad confessionem nominis Christi, & ideo congruè per utrumque Sacramentorum contrahitur spiritualis cognatio. Constat autem, hanc congruentiam non esse in aliis Sacramentis.

Et sanè quantum ad Sacramentum Penitentia, D. Thomas ibidem ad 8. sic ait: *Quare non dicendum, quòd per Sacramentum Penitentia non*

contra contrahatur

261.

Objectio ex velle. 8. 30. q. 1. contra 2. part. Conclus.

Solvitur.

262.

Quare ex solo Baptismo & Confirmatio oritur impedimentum.

Ratio Doct. Angel.

263.



Per Sacram.  
Panis. ex  
cod.

contrahitur proprie loquendo spiritualis cognatio. Unde filius sacerdotis potest contrahere cum illa, quam sacerdos in confessione audit, alias filius sacerdotis non inveniret in tota una Parochia mulierem cum qua contraheret. Nec obstat, quod per Pœnitentiam tollitur peccatum actuale; quia hoc non est per modum generationis, sed per modum sanationis.

Quare non  
per Euchar.

Et idem dici potest de aliis Sacramentis; Eucharistiæ v. g. quæ licet conferat gratiam sanctificantem, augmentum utique vitæ spiritualis; non tamen per modum generationis, sed magis per modum nutrimenti; unde & Eucharistia cibus spiritualis dicitur. Sicque discurrere per cætera Sacramenta, & simile discrimen reperies inter ipsa, & Sacramenta Baptismi & Confirmationis. Quæ profecto dissimilitudo, ratio sufficiens fuit, ut Ecclesia uni Sacramento, sive ministratori & susceptioni unius Sacramenti, annecteret cognationem spiritualem, quæ esset impedimentum dirimens, & non alterius.

264.

D. Tho. a.  
gnoscit ali.  
quam cog.  
nationem  
in Pœnit.

Interim D. Thomas sup. agnoscit aliquam cognationem spiritualem in Sacramento Pœnitentiæ: nam verbis supra relatis actutum subjungit: Sed tamen per Pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter Sacerdotem & mulierem confitentem, simile cognationi spirituali, ut tantum peccet, eam carnaliter cognoscens, acsi esset sua spiritualis filia, & hoc ideo quia maxima est familiaritas inter Sacerdotem & confitentem, & ex hoc ista prohibitio est inducta, ut tollatur peccandi occasio. Hæc ille.

Quorum veritatem alibi examinavimus: puta Parte 4. hujus Operis Sect. 8. Conclus. 8. sequentis tenoris: Confessarius ex auditâ Confessione non contrahit specialem obligationem seu cognationem aliquam spiritualem, qua inducat in peccato carnali cum pœnitente malitiam necessariam confitentem. Videantur ibi dicta; nam nimis longum esset ea repetere, & nihil novi habeo addendum. Inpræsentarium sufficit, quod non inducat talem cognationem, quæ impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat post contractum; etenim de illo impedimento hic disputamus.

265.

Ex statuto  
Ecclesia di.  
simis cog.  
natio ex  
Bapt. dum.  
taxat &  
Confir.

Itaque veluti per solam generationem carnalem contrahitur cognatio carnalis, impediens, & dirimens Matrimonium; sic itidem per solam generationem spiritualem in Baptismo & Confirmatione factam, contrahitur cognatio spiritualis impediens & dirimens Matrimonium ex statuto Ecclesiæ.

Probatur ex  
Sanchez,  
statutum  
istud fuisse  
rationabile.  
Frimò.

Dubitas, an rationabili? Ecce rationes ex Sanchio sup. n. 3. Prima: quia recipiens ab alio esse spirituale, debet illi quamdam reverentiam. Atque ideo baptizanti tanta olim exhibebatur reverentia, ut ob eam causam Zelus esset ac contentio inter Christianos, à quo quispiam baptizatus esset, ut testatur D. Paulus I. ad Cor. 3.

266.

Major re.  
verentia

Quod probè sciens Doctor Seraphicus sup. a. 1. q. 1. inquit: Reverentiam & honorem tenetur aliquis ei facere, qui se regeneravit, majorem, quam Bosco de Matrim. Pars II.

aliis: hoc autem non est propter aliud, nisi propter illud mandatum, quo pater honorandus est specialiter præ aliis hominibus: ergo iste aliquo modo est pater; sed non carnalis; ergo spiritualis. Sed carnalis paternitas facit cognationem carnalem; ergo spiritualis spiritualem.

debetur  
baptizanti,  
quam aliis,  
ex D. Bo.  
nav.

Secunda ratio; quia inde (inquit Sanchez) contrahitur quoddam amicitia ac familiaritatis vinculum. Quare oportuit inter hos cognatos interdicere Matrimonium, ut, cum extraneis inito, dilataretur in plures amicitia.

Secunda  
probatio.

Tertia: quia sicut ex generatione carnali, per quam quis esse naturale accipit, consanguinitas orta dirimit Matrimonium: ita expediens fuit, ut spiritualis cognatio, profecta ex spirituali generatione, in ejus reverentiam impediret ac dirimeret conjugium inter eas personas, eo vinculo conjunctas.

267.  
Tertia.

Quare (infert Sanchez sup.) malè Conradus Lagus in Methodica juris tit. de nuptiis dixit: prohibitionem Matrimonij cognatione spirituali sine causa factam esse, eamque valere auctoritate Ecclesiæ quantum possit.

Lagus.

Hæc autem cognatio solo jure Ecclesiastico obstat Matrimonio incundo. Cum enim ex solo illo jure instituta sit, fieri nequit, ut jure naturali, aut Divino positivo, is effectus sibi competat. Ita Sanchez.

Sanchez.

Planè sic est, eo supposito, quod solo jure Ecclesiastico sit instituta. Sed de hoc sup. dubitavimus, & oppositum quantum ad cognationem, quæ oritur inter baptizantem & baptizatum, inde videtur probari: quod, seclusâ omni institutione Ecclesiæ, baptizatus tamquam filius spiritualis debeat reverentiam baptizanti, tamquam patri spirituali, quæ paternitas & filiatio immediatè oriuntur ex natura ipsius Baptismi, quæ instituta est à Christo. Ac proinde, quod hic sit pater spiritualis, & ille filius spiritualis, immediatè oritur à Deo, sic instituyente hoc Sacramentum.

268.  
Probatur,  
quod cogna.  
tio inter  
baptizan.  
tem & bap.  
tizatum sit  
jure natu.  
ra.

Imò, suppositâ hæc institutione, jus naturale dicat, reverentiam deberi patri spirituali, ut sup. indicat D. Bonaventura ibi: Hoc autem non est propter aliud, nisi propter illud mandatum, quo pater est honorandus specialiter præ aliis hominibus. Quis autem nesciat mandatum istud esse naturale, saltem latè dictum? Et quamvis principaliter dictum sit: Honora patrem tuum & matrem tuam, propter parentes carnales; quid nisi secundariò intelligi possit de parentibus spiritualibus?

Sed nunquid benè sequitur: aliqua cognatio spiritualis oritur ex jure naturali, aut Divino positivo; ergo dirimit Matrimonium ex jure naturali, aut Divino positivo? Minime, ut constat ex cognatione naturali, quæ licet in omnibus gradibus oriatur ex jure naturali, tamen in aliquibus dirimit ex solo jure Ecclesiastico. Ergo similiter hic fieri posset, ut aliqua cognatio, seu vinculum amicitia spiritualis, proveniret ex jure naturali aut positivo Divino, licet omnis dirimat ex solo jure Ecclesiæ, ut jam satis probavimus.

269.  
An inde se.  
quatur,  
quod eodem  
jure diri.  
mat.



270.  
An cognatio  
spiritualis  
divinat  
pro perpetuo.

Sanchez.

Si quæras; an dirimat pro perpetuo, sive an sit impedimentum perpetuum, ita ut non extinguatur morte personæ, quâ mediante contracta fuit, v. g. personæ baptizatae, ratione cuius baptizans contraxit impedimentum non contrahendi cum ejus patre & matre?

Respondeo cum Sanchez sup. n. 8. affirmative. Jura enim hoc absolute impedimentum statuunt. Nec invenitur textus id limitans: *dum ea persona superstes est*. Deinde: quia speciale est in cognatione legali transversæ lineæ, quod sit impedimentum temporale: quod jura, id statuentia, sic explicant: hic autem nullum jus sic explicat.

Igitur sicut affinitas est impedimentum perpetuum, id est, manet post mortem ejus, ratione cuius contracta est, ut Omnes docent; sic itidem cognatio spiritualis; vel assignetur disparitas.

271.  
Cognatio  
hec non  
dissolvit  
Matr.  
amici  
contractum.

Et veluti affinitas (ut maneamus in eodem exemplo) superveniens Matrimonio, non dissolvit illud; pari passu cognatio spiritualis superveniens Matrimonio, ut quia alter conjux levavit de sacro fonte filium alterius, minimè dissolvit illud. Sic etiam Professio Religionis superveniens Matrimonio contracto, relinquit ipsum omninò validum; estò, si antecederet, proculdubiò dirimeret.

Probatu.

Ratio universalis est; quia Matrimonium est vinculum indissolubile, nisi ab eo, qui indissolubilitatem introduxit seu instituit. Non constat autem, Deum voluisse, ut per cognationem supervenientem prius Matrimonium dissolveretur; imò planè inconvenientia foret, quod dissolveretur, propter inconvenientia, nata inde provenire, ut lippis atque tonsoribus notum est.

272.  
Obijciunt  
decretum  
Deusile  
Paps.

Sed his videtur obstare (inquit Pontius lib. 7. cap. 40. n. 8.) difficilis textus Deusile dicit Pontificis in Epistola decretali, quæ nuper excusa extitit inter decretales, quæ prodierunt ex Bibliothecâ Vaticana, ex qua epistola desumptus est textus in cap. *Pervenit*, 30. q. 1. In qua epistola post ea, quæ recitantur in eo canone, qui apud Gratianum extat, ista dicuntur: *Mulieres vero cum separata fuerint pro hac illicitâ re a propriis viris, totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & post expletum annum recipiant alium virum, similiter & vir uxorem.*

In quibus, cum à Pontifice quæsitum esset, an mulieres, quæ ob magnum populorum concursum in Sabbatho Paschæ filios suos levarent de Baptismo, si pro eo debeant ad suum proprium redire usum; respondet, separandos, ut nullo unquam modo se recipiant in conjugio mulieres ac viri, qui quâcumque ratione suos susceperunt natos, sed separent se, ne suadente diabolo tale vitium peccati inoleat per mundum.

At si id demus, quanta rerum absurditas sequatur, quis non videt? Sequitur enim in Ecclesia potestatem esse dissolvendi Matrimonium ratum consummatum. Cum enim jure Ecclesiastico inductum sit cognationis spiritualis impedimentum, si, illo superveniente, voluit Ro-

manus Pontifex Matrimonium dissolvi, quandoquidem facultatem concedit, ut post annum, peractâ scilicet poenitentia, alium virum accipiat, & vir aliam uxorem, planè sequitur jure Ecclesiastico dissolvi Matrimonium ratum fidelium consummatum. Hæc ille.

Respondet Hugo, quem referunt Archidiaconus & Turrecremata in d. cap. *Pervenit*, hic tantum agi de separatione à conjunctione carnali ad tempus, ad agendam poenitentiam, vel absolute in perpetuum, retento vinculo, ne vitium hoc, quod eo sæculo frequens erat, indiès serperet.

Sed hoc (inquit Pontius sup. n. 9.) ut videmus, ipso textu refellitur: inquit enim: *Post expletum annum recipiant alium virum &c.*

Aliam interpretationem refert Turrecremata sup. scilicet sermonem esse, non de conjunctis, sed de jungendis. Ast & illa non videtur consona textui: cum (inquit Pontius) in quaestione proposita dictum sit: *Cupis ergo scire, si pro tali accidenti ratione debeant viri ac mulieres ad proprium usum redire*. Et infra: *Totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & post expletum annum, &c.* Hinc Glossa verb. *Usus*, ait: *Loquitur de conjunctis ante compaternitatem, & non de conjunctis post, prout quidam mentiantur.*

Nunquid ergò mentitur Pontius sup. n. 11. & 12. ubi hunc textum explicat etiam de conjunctis post? Ipse viderit. Hic Auctor trinam adhibet explicationem huic textui. Primam n. 10. dicens: *Mihi ista consideranti, sese offert in primis, unius tantum voculae mutatione textum coherere, scilicet si legamus pro *Alium, illum*, cujus facilis in vetustis characteribus mutatio esse potuit, quasi jubeat Pontifex, ut per annum separentur ad poenitentiam, & quò eo tempore non desint uxoribus alimenta, restituatur a viro dos quam die nuptiali acceperat. Adjuvâri que potest hæc licet levi conjectura, quòd non dixerit; *Et vir aliam uxorem, sed: vir uxorem.**

Secundam explicationem tradit n. 11. hisce verbis: *Vel dico: duas esse partes distinguendas in isto casu Canonis, aut de duobus personarum gradibus agi in illo, scilicet de jam conjugatis, quæ proprios filios susceperunt; & de his quæ ex vago concubitu cum filios jam suscepissent, concubinarum suarum, vel earum, cum quibus sponsalia tantum contraxerant, filios de fonte levarant in tanto hominum concursu; & singula singulis accommodanda. Iis, qui jam conjugati filios levarant de fonte, ut separent se ad tempus, continentia & poenitentia causa. Iis autem, cum quibus vagus tantum concubitus intercesserit, aut sponsalia, separentur, nec nubant, sed restituatur dos, si quæ forte à viro recepta fuerat in die nuptiali, id est, cum de nuptiis pacta firmata sunt.*

Addit Basiliius tertiam expositionem n. 12. sub hac forma verborum: *Vel dico, totum textum intelligendum de his, qui filios levarant, quos de concubinis sine conjugio susceperant. Cui dubitationi optime respondet: statutum etiam*

273.

Respon.

Hugoni.

Rejicitur

à

Post

Pontio.

274.

Alia inter-

pretatio, ex

Turret. An

consona tex.

111, ex Pont.

275.

Trina expli-

catio Pontij.

Prima.

276.

Secunda.

277.

Tertia.



iam ab aliis Pontificibus, ut nullo modo se in conjugio reciperent, id est, ne inter eos celebrari posset Matrimonium.

Et quia fortè aliqui viri & mulieres, intelligentes, quòd filium levassent, sibi impedimento non esse, contraxerant Matrimonium post levatos filios de fonte; separari jubet, nò quia Matrimonium validum dissolvatur, sed quia nullum fuerat ratione impedimenti. Et quia reverà non subsistebat Matrimonium, statuit Pontifex, reddendam esse dotem uxori, quæ separatur à Matrimonio, post impedimentum celebrato, & peractà unius anni poenitentia pro delicto, liberum esse aliis viris copulari.

278. Ratio huius expostionis.

Piacet autem textum istum de viris vel foeminis, qui filios in concubinato susceptos levarent potius, quàm de aliis intelligere, quòd dicit, quæsitum esse de his, qui proprios filios suos levarent. Quare non potest universè intelligi de his, qui filios levarent alterius, & postea cum eorum parentibus contraxerant. Hactenus Pontius.

Judicium Auctoris.

Ego autem noto; in dicto textu non fieri mentionem, saltem expressam, concubinarum; deinde adverte: verba illa superius relata; *Mulieres verò* &c. ex quibus oritur difficultas, omiſsa esse apud Gratianum, quàmvis apud Binium Tomo 2. Conciliorum reperiantur. Quare autem omiſsa sint apud Gratianum, nescio. Hoc scio, Pontificem non posse dispensare in Matrimonio rato fidelium consummato, adeoque viros & mulieres, qui sive nescientes, sive scientes, proprios filios suscipiunt ex levacaro sancto, nullatenus posse propterea cum aliis contrahere.

279. Cognatio hæc superveniens dissolvit sponsalia

An autem priventur jure petendi aut reddendi debitum; dicam alio loco, ubi de usu Matrimonii. Hoc pervium est, quòd talis susceptio dissolvat sponsalia de futuro contracta sicut & affinitas. Quia cum non sint vinculum indissolubile, solvantur supervenienti obstaculo dirimenti subsequens Matrimonium.

Sed pergamus ad alia, & dispiciamus, ex quo Baptismo oriatur hæc cognatio, utrùm etiam ex Baptismo privato aut invalido; Deinde, an oriatur inter personas non baptizatas; de his enim omnibus quaritur inter Theologos. Nostra resolutio hæc est.

## CONCLUSIO V.

In Baptismo, non solemniter ministrato, baptizans contrahit impedimentum cognationis spiritualis; secùs tenens. Sacramentum sit validum. Incertum est, an personæ debeant esse baptizatae.

280. Probatur 1.

**D**icendum prorsus est (inquit Sanchez sup. disp. 62. n. 10.) baptizantem, etiam lai-

cum, in extremo necessitatis articulo, contrahere cognationem perfectam spirituales, subsequens Matrimonium dirimentem, cum baptizato ejusque parentibus. Quia omnia jura clamant ex vero Baptismo oriri cognationem spirituales. Sed Baptismus non solemniter ministratus, sive à laico, sive à Sacerdote, tam in extremo necessitatis articulo, quàm extrà eum, est verus Baptismus, & vera regeneratio, ergò &c.

Sed contra, dicit aliquis: cap. ult. de Cognat. spirit., ut cognatio spiritualis contraheretur, ponderatur baptizantem fuisse Sacerdotem, ibi: *Idem A. excipiendo proposuit, quod eam habere rit. non poterat in uxorem pro eo, quod ipsum pater mulieris ejusdem, qui sacerdos extitit, baptizavit.*

281. Obicitur c. fin. de Cogn. spirit.

Respondeo cum Sanchez sup. n. 12. narrari in eo textu factum, nec vim effici ad contrahendam cognationem spirituales in Sacerdotio ministri baptizantis.

Solvitur ex Sanchez.

Si rursùm objicias: cap. *Ad limina*, 30. q. 1. declaratur, parentes, qui proprios filios in necessitate baptizant, non arceri à petitione debiti, ibi: *Vnde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetuam morte pereuntem dimitteret, sacri unctam Baptismatis lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi jam cognaturum sine dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur: idcirco sua uxori, sibi jam legitime sociata, impune quamdiu vixerit judicamus manere conjunctum.* Ita Ioannes Papa 8. Anselmo Lemovicinæ Ecclesiæ Episcopo.

282. Alia obiectio ex c. 7. 30. q. 1.

Ubi conceditur petitio debiti, eò quòd injustum sit, propter actum præceptum poenam subire. Quæ ratio æque militat in omni eo, qui necessitatis tempore baptizat; si enim ob id oriatur inter ipsum & baptizati parentes cognatio spiritualis, privaretur propter actum præceptum libertate incundi Matrimonii cum illis; ac proinde poenam incurreret: Negari enim non potest, privari hæc libertate, esse quoddam poenæ ac gravaminis genus.

Respondeo ex Sanchez sup. n. 10. privari conjugem jure debiti exigendi, est in poenam delicti admissi, baptizando filium conjugis alterius. At iniquum est, poenam incutiri propter observantiam præcepti. Contrahi autem cognationem, quæ subsequens Matrimonium dirimat, ac reddat incestuosum concubitum cum persona baptizata, vel ejus parentibus, nullatenus habet rationem poenæ, vel gravaminis, sed pertinet ad quoddam amicitia genus, & conjunctionis, quam statuit Ecclesia inter has personas, ob quàm venit Matrimonium inter illas.

283. Solvitur ex Sanchez.

Et confirmatur; quia Parochus tenetur Baptismus solemniter ministrare; & tamen nullus negabit, eum contrahere hanc cognationem. Tandem; quia quando impedimentum aliquod non statuitur ab Ecclesia in delicti poenam, sed ob alias rationes, incurratur propter actum præcepti: ut Iudex obligatus ad suspendendum delinquentem, irregularis efficitur illum suspendendo

Confirmatur inf.



dendo. Ita Sanchez cum Aliis, quos citat.

284. Manet ergo vera prima pars Conclusionis, scilicet in Baptismo, non solemniter ministrato, Baptizantem, sive vir, sive femina fuerit, sive laicus sive Sacerdos, contrahere cognationem Spiritualem cum Baptizato, ejusque parentibus, quæ est communis sententia.

Tenens in privato Baptizantem non contrahit cognationem, ut probatur ex Sanchez.

Nunquid etiam tenens? Negat sequens pars Conclusionis, quam tanquam probabilioram amplectitur Sanchez sup. Quia, inquit, cum adhibere susceptorem sit cæremonia ab Ecclesia instituta pro Baptismo solemnium, ubi hic non est, non dicitur propriè & verè susceptor, qui tenet: imò valde contingens est, ut puer tunc ab aliquo teneatur; in ulnis enim matris, aut in cunabulis positus solet baptizari; quod si ab aliquo teneatur, est per accidens, majoris commoditatis gratiâ. Quare nil peccaretur, omisso patrino in eo Baptismo.

Secunda probatio.

Secundò; constat ex communi modo loquendi, vulgiquè opinione, à quibus argumentum petitum efficax est. Nam tenentes infantem in prædicto casu, nec compadres, nec patrini appellantur, nec tales solent existimari, sed illi soli, qui in Baptismo solemnium id munus obeunt. Ita Sanchez cum Aliis ab eo allegatis. Quam sententiam secuti fuimus Parte 1. hujus Operis Disp. 2. Sect. 6. Conclus. 2. n. 16. & adhuc sequimur.

285. Quid ergo, inquis, si tenens reverà velit munus susceptoris obire? Respondet Sanchez sup. n. 15. etiam tunc minimè contrahere. Quòd non sit in potestate tenentis situm, hanc cognationem contrahere, nisi petita ab Ecclesia serventur: at munus susceptoris non obitur propriè, nisi quando Baptismus est solemnium.

Unde (inquit Herinx 4. part. tract. 2. disp. 7. n. 31. ubi sequitur sententiam Sanchez) nec nomina hujusmodi describuntur in libro, neque cognationem contractam eis Parochus inculcat; quod tamen præscribit Trid. sess. 24. de Refor. Matr. c. 2. Potuisset quidam Ecclesia cæremoniam istam pro Baptismo solemnium præscripsisse per modum præcepti, eam relinqueret in Baptismo privato: de hoc tamen non constat, uti constare deberet, ut rectè assereretur. Hæc ille.

286. Nec obstat (prosequitur Sanchez sup.) baptizantem in ea necessitate contrahere: quia baptizans confert verum Sacramentum: at qui sic tenet vel suscipit, non dicitur propriè tenere vel suscipere eo modo, quo ab Ecclesia statutum est. Susceptio enim est cæremonia ab Ecclesia instituta ad Baptismus solemnium, ac proinde, solemnitate deficiente, deficit quòque vera susceptoris ratio. Hæc ille.

Quamvis igitur jura eodem pacto & tenere loquantur de baptizante & de susceptore, neque expressè distinguant inter Baptismus privatum & solemnium, quando statuunt susceptorem in Baptismo contrahere cognationem; equidem intelligenda sunt de vero & propriè dicto susceptore eo modo, quo de vero & propriè dicto baptizante.

Planè, inquis, sed pars adversa contendit, tenentes in privato Baptismo, esse verè & propriè susceptores, maximè quando volunt munus susceptoris obire. Quo equidem probato, haud dubium, quin cognationem contrahant.

287. Inflama.

Fateor; sed hoc non satis probatur ex juri-  
bus, quæ impedimentum cognationis spiritualis statuunt, tamen si distinguant expressè inter Baptismus privatum & solemnium, & idè adhaeremus sententiæ Sanchezii; maximè cum impedimenta Matrimonii potius sint restringenda quàm extendenda; nam causa matrimonialis favorabilis est, ut non semel alibi diximus, & ex jure probavimus.

Solvitur.

Hinc etiam probatur tertia pars conclusionis, scilicet: *Sacramentum sit validum*; quâ significatur, nullam contrahi cognationem, quæ Matrimonium subsequens dirimat, si vel defectu materiæ, formæ, aut aliâ quâcumque ratione Sacramentum fuerit invalidum. Ratio in promptu est, quia in tali eventu, non est verus Baptismus, & per consequens non est vera regeneratio spiritualis; jam autem jura decernunt, ex Baptismo oriri cognationem spiritualem, eò quòd sit regeneratio quædam spiritualis.

288. Ex Sacramento invalido non oritur cognatio. Probatur.

Et eadem est ratio de invalida Confirmatione; quia scilicet ipsa non est spiritualis quædam perfectio regenerationis spiritualis, cum tamen jura statuunt, ex Confirmatione oriri cognationem spiritualem, eò quòd sit talis perfectio.

Breviter, *ly Baptismus*, & *ly Confirmatio*, simpliciter prolata, significant in omni jure verum Baptismus, & veram Confirmationem, nisi aliquid obstat; sicut *ly Homo*, simpliciter prolatum, significat verum hominem, & non fictum seu pictum. Hic autem nihil obstat, quò minus de solo Baptismo vero seu valido, itemque de sola Confirmatione vera seu valida, jura intelligantur.

Confirmatur.

Quinimò, inquis, obstat cap. un. de sponsali. in 6. ubi deciditur, ex sponsalibus irritis oriri impedimentum publicæ honestatis, dirimens Matrimonium. Ergò ad impedimentum dirimens inducendum, sufficit actum effici de facto, et si non de jure, sed irritus sit.

289. Obijetur cap. un. de Sponsal. in 6.

Respondeo & quæro, an d. cap. unico decidatur simpliciter ex sponsalibus oriri impedimentum publicæ honestatis, sicuti jura præallegata simpliciter statuunt, ex Baptismo & Confirmatione oriri cognationem spiritualem? Manifestum est quòd non: nam sic sonat: *Ex sponsalibus puris & certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, Religionis, aut aliâ quâvis ratione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum, & dirimendum sequentia sponsalia vel Matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitia publicæ honestatis.*

Responsio.

Est igitur in eo casu textus expressus, cum-  
que sit valde specialis, non potest extendi ad alios. Aliter (inquit Sanchez sup. n. 8.) posset inde probari ex omni actu irriti sequi impedimenta omnia jure statuta; ac proinde diceremus, irregularem esse, qui putans se hominem

290. In casu sponsalium est expressus textus.



minem interficere, verè feram necaret.

Secus hic,

Adferant Adversarii textum, in quo deciditur, ex Baptismo oriri impedimentum cognationis spiritualis, etiamsi nullus sit, & libenter eis subscribimus; cum autem non possint eum adferre, haud ægrè ferant, si eorum commento non credimus, utpotè destituto omni solido fundamento, sive ex jure, sive ex ratione. *Odia restringi, & favores convenit ampliari*, inquit Reg. 15. de Reg. juris in 6. Impedimentum autem Matrimonii odium, ut sup. dixi; ergò restringendum, & non ampliandum ad casum non expressum. Et Reg. 52. eod. ait: *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.*

291.

Explicatur Reg. juris 52. in 6. ex Canisio.

In quam Reg. Canisius hæc scribit: Exemplum require ex c. 4. & c. 5. extrà de spons. impub. ubi species talis refertur: Contracta sunt sponsalia à Cajo cum puellâ, minore septennio; postea idem Cajo consentit in Matrimonium cum matre ejusdem puellæ: quâ de re consultus S. Pontifex refertur, Matrimonium hoc cum matre initum, non impediri propter sponsalia præcedentia cum filia: cum sponsalia ipso jure, utpote à minore septennio contracta, non constiterint, ac proinde nullam publicæ honestatis justitiam induxerint, quâ quam aliàs inhibetur Matrimonii contractus.

Alterum exemplum juris civilis sit: Si quis post primum testamentum, alterum facere cœperit, sed mortalitate præventus, aut, quia ejus rei cum pœniterit, id non perfecit, non ideò infirmantur priores tabulæ, cum posteriores effectum non habuerint, §. *Ex eo autem*, Instit. Quibus mod. testam. infir. Hæc ille.

292. Occurrit objectioni.

Et aliquibus interpositis ait: Neque huic Regulæ obstat tex. in cap. un. de Spons. in 6. ubi ex sponsalibus invalidis publica honestas oritur, Matrimonium subsequens impediens & contractum dirimens. Nam tametsi ejusmodi sponsalia ipso jure nulla sint: non tamen effectu carent quoad opinionem vulgi, fortè existimantis, ea valida esse: ut merito & in his sponsalibus, publicæ honestatis tuendæ & conservandæ causâ receptum fuerit, ea non minus impedimento esse justis nuptiis, quàm si legitime contracta essent. *Semper in conjunctionibus* (inquit Modestinus) *non solum quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit*, l. 42. ff. de. Ritu nupt. Verum cum hodie dicebatur sit ab hac sententiâ d. c. unci per Concilium Tridentinum sess. 24. c. 3. in Decret. de refor. Matr. non est quod longè insistamus. Hactenus Canisius.

Cum ergò in casu proposito Sacramenta Baptismi & Confirmationis non sortiantur effectum, quia supponuntur ipso jure nulla; neque præstabant impedimentum Matrimonio contrahendo.

293. Replica.

Si dixeris: non carent omni effectu quoad opinionem vulgi, fortè existimantis ea valida esse, ut merito & in his Sacramentis cognationis spiritualis tuendæ & conservandæ causâ receptum fuerit, ea non minus impedimento esse justis nuptiis, quàm si validè ministrata fuissent.

Respondeo: ad summum inde sequitur, quòd Ecclesia posset taliter recipere Baptismum & Confirmationem, ipso jure nulla; quòd autem aliquando receperit, ex nullo textu constat, sicut constat ex dicto cap. unico aliquando recepisse sponsalia, ipso jure nulla, cumque de facto amplius non recipiat hujusmodi sponsalia; quo fundamento asseremus, recipere hujusmodi Baptismum aut Confirmationem?

Quod probè scientes S. R. E. Cardinales, declararunt: *Qui in Ecclesia dumtaxat fuit presens ei, qui domi fuerat verè baptizatus, sed deinde in Ecclesia servata fuerunt sola solemnitates, nullam cognationem spiritualem cum eo contraxit.* Utiq; neque susceptor neque Parochus, qui adhibuit cæremonias: quia nec ille verus susceptor, nec hic verus Baptizans.

Quid ergò, inquis, si iteretur Baptismus sub conditione, eò quòd de prioris Baptismi veritate dubitetur? Respondet Sanchez sup. n. 6. postquam constiterit, priorem fuisse validum, non oriri cognationem; at dum id non constat, præsumet Ecclesia cognationem. Quòd intelligo, quando est merum dubium. Hæc ille.

Sed quæro ego: Quare Ecclesia præsumet cognationem? Equidem in dubio melior est conditio possidentis: videtur autem baptizans tali casu & susceptor possidere suam libertatem, quamdiu non constat de nullitate prioris Baptismi.

Respondetur: Ecclesia præsumet cognationem, quia præsumet valorem Baptismi sub conditione, quamdiu non constat de valore prioris Baptismi; quippè certum est Baptismum sub conditione valuisse, si prior non valuerit; ergò quamdiu non constat priorem valuisse, merito præsumitur posteriorem valuisse, ita ut pro certo habeatur, sic Baptizatum verè & validè esse Baptizatum. Unde posterior Baptismus sub conditione possidet, utpotè qui adhibitus fuit, ut certo constaret de Baptismo, & per consequens ut certo constaret de baptizante & susceptore seu patrino.

Veluti ergò secundus Baptismus præsumitur validus, quousq; non probatur validitas prioris; sic indidem minister posterioris Baptismi præsumitur verus baptizans, & susceptor in posteriori Baptismo verus susceptor; ac proinde contraxisse cognationem spiritualem, quamvis reverà non contraxerint, si præsumptio non nitatur veritate. Quapropter si postmodum constaret, priorem Baptismum fuisse validum, pronuntiaret Ecclesia cognationem non fuisse contractam.

Sin autem prior Baptismus probabiliter valuerit, probabiliter non valuit secundus Baptismus; & per consequens probabile erit, ex secundo non fuisse contractam cognationem. Et si prior Baptismus probabiliter non valuerit, probabiliter valuit secundus Baptismus; ac proinde probabile erit ex secundo fuisse contractam cognationem. Quid ergò tali casu faciendum?

Cum utraq; opinio sit probabilis (inquit Resol. ex Sanchez

Dubitatur.

Declar. Card.

294.

Quid si Bap. iteretur sub conditione, ex Sanchez.

295.

Ecclesia præsumet cognationem, quamdiu non certò constat de valore primi Baptis.

296.

Quid si probabiliter valuerit prior Baptis.

Resol. ex Sanchez.



Sanchez sup. n. 7. in fine ) poterit quispiam utramvis illarum sententiarum tutâ conscientiâ amplecti, & secundum unam velle contrahere Matrimonium, & juxta aliam nolle contrahere; hoc autem indubiè tutius est, & consultius, ne postmodum de valore Matrimonii disputetur. Puto tamen ego, quod post factum Ecclesia judicaret pro valore, cum causa matrimonialis sit favorabilis.

297. *An hoc impedimentum oritur inter personas non baptizatas.* Restat ultima pars Conclusionis, quæ ait, incertum esse, an hoc impedimentum oritur inter personas non baptizatas, v. g. inter infidelem baptizantem, vel suscipientem, & baptizatum, ejusque parentes infideles, aut etiam fideles.

In eo autem versatur cardo difficultatis, utrum infidelis sit capax cognationis spiritualis. Hoc in primis certum est, infidelem posse validè baptizare; incertum verò, an possit validè suscipere, seu levare de sacro fonte; & qui diceret, non posse validè suscipere, consequenter affirmare deberet, nullam oriri ex tali susceptione cognationem spiritualement, quæ Matrimonium post contractum dirimat, neque obligationem instruendi baptizatum; cum hi effectus non oriuntur, nisi ex valida seu vera susceptione, sicut antea dictum est, non oriri cognationem spiritualement, nisi ex valido seu vero Baptismo. Et quamvis, ut statim dixi, infidelis possit verè baptizare; equidem multi putant, ex tali Baptismo non oriri cognationem spiritualement.

298. *Non baptizatus non potest aliquid levare de sacro fonte ex D. Th.* Unus pro mille sit D. Thomas 4. dist. 42. q. 1. a. 3. *Ad tertium dicendum, quod non baptizatus, non potest aliquid levare de sacro fonte, cum non sit membrum Ecclesie, cujus typum gerit in Baptismo suscipiens; quamvis possit baptizare, quia est creatura Dei, cujus typum gerit baptizans; nec tamen aliquam cognationem contrahere spiritualement potest, quia est expertus spiritualis vite, in quam homo primo per Baptismum nascitur.* Et per consequens, tamen quis admitteret, infidelem validè posse suscipere; equidem negare posset, propter eandem rationem, ex tali susceptione contrahere aliquam cognationem spiritualement.

299. *Infidelis incapax est hujus cognationis, ex Sanchez. Probat. I.* Et idè Sanchez sup. disp. 60. n. 7. absolutè docet, nullâ factâ distinctione inter baptizantem, & suscipientem, infidelem incapacem esse hujus spiritualis cognationis contrahendæ. Probat autem primò: quia sicut non habens vitam carnalem, non potest esse cognatus carnaliter; ita non habens vitam spiritualement, nequit esse spiritualement cognatus.

Confirmatur. Et confirmatur: quia sicut ad carnalem cognationem inter aliquos, desideratur processio utriusque ab eodem stipite, secundum carnalem propagationem; ita ad spiritualement exigitur processio utriusque ab eodem stipite, nempe Christo, secundum spiritualement regenerationem, mediante visibili Sacramento Baptismi.

300. *Secunda probatio.* Secundò; quia infidelis est incapax jurispatronatus, quod quasi spiritualement est, c. *Quicumque*, 16. q. 7. nedum cognationis verè spiritualis.

301. *Tertia.* Tertio: quia cum cognatio hæc sit ex mero Ecclesie instituto, nequit ab infidelibus contrahi, utpotè qui Ecclesie legibus minimè subdantur. Hæc ille,

301. *Prima illa.* Ex quibus deducit primò, infidelem sive baptizet, sive susceptor in Baptismo aut Confirmatione sit, minimè contrahere hanc cognationem; quia illius incapax est.

302. *Secunda.* Secundò: Catechumenum quodque esse incapacem hujus cognationis; quod non procedat ab eodem stipite, videlicet Christo per spiritualement regenerationem, mediante visibili Sacramento Baptismi; sicut nec Sacramentorum est capax.

303. *Tertia.* Tertio: si Christianus unà cum infideli suscipiat puerum, vel alter suscipiat, altero baptizante, non contrahi cognationem cum infideli: utpotè qui illius expertus est, benè tamen cum Christiano. Quia utile non vitiat per inutile, quando commodè separari possunt, Reg. 37. de Reg. juris in 6. *Utile non debet per inutile vitari.*

304. *Quarta.* Quartò deducit: infidelem baptizantem, vel suscipientem, non contracturum cognationem ex eo actu, tempore infidelitatis gesto, quamvis postea baptizetur. Quia quod à principio nullum fuit, convalescere nequit; arg. l. 210. ff. de Reg. juris, *Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest.* Ergò baptizatio, quæ prius inutilis fuit ad contrahendam cognationem, ex post facto, id est ex Baptismo postea suscepto, non potest convalescere ad hunc effectum.

305. *Hinc multi contradi- cunt.* Sed de hoc corollario statim plura: nam ei multi contradicunt. Alia autem proculdubid vera sunt, si vera est principalis sententia. Sed quia & hæc veritas incerta est, & ab aliquibus negatur, oportet oppositam doctrinam cardinibus suis luxare (si tamen luxari possit) priusquam Sanchio subscribamus.

306. *Docent aliqui, infidelem baptizantem filium infidelis contrahere cognationem, sicut suscipiens.* In primis ergò docent nò pauci: infidelè baptizantem filium fidelis contrahere cognationem cum baptizato, ac ejus parentibus; scilicet suscipientem. Ducuntur primò: quia infidelis validè baptizat, non autem validè susceptoris minus exequitur. Quippè eum non posse esse susceptorum, decernitur cap. 102. de Consecr. dist. 4. *In Baptismate, vel in Chrismate, non potest alium suscipere in filium, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.*

307. *Resp. Sanchez.* Responder Sanchez sup. n. 12. non satis esse, Baptismum ab infideli collatum, esse validum, ut ex eo oriatur cognatio spiritualis; sed desiderari, personam baptizantem esse capacem illius contrahei læ, qualis non est infidelis.

308. *Impugnata.* Sed, inquis; hoc est, quod quaeritur; an sit capax, adeoque probatum oportuit, non suppositum. Respondetur: jam sup. ex Sanchez probatum fuit.

309. *Resp. ad r. arg. Sanchez.* Prorsus, replicas, probatum fuit; sed inefficaciter. Ad primum quippè respondetur: non benè sequitur: non habens vitam carnalem, non potest eam alteri dare; ergò non habens vitam spiritualement per baptismum, non potest eam alteri dare per Baptismum. Proindè non valet in omnibus argumentum à vita carnali, & cognatione carnali, ad vitam spiritualement & cognationem spiritualement.

Censet.



306.  
Secundum  
fundamen-  
tum senten-  
tia opposita.

Censetne, aliquem posse dare vitam carnalem, qui ipse eam non habeat? Scio, quod non censet. Et verò nemo ambigit, posse quempiam dare vitam spirituales, qui eam ipse non habeat. Cum ergo cognatio spiritualis oriatur ex datione vitæ spiritualis, cur infidelis, qui eam vitam potest dare, erit incapax cognationis spiritualis; & cur eam non contrahet, si revera puero, à se baptizato, eam vitam det? Et ecce secundum fundamentum oppositæ doctrinæ.

Oppugnatur  
à Sanchio.

Respondet Sanchez sup. non satis esse, recipere esse ab alio, ut recipiens sit ejus filius. Exigitur enim, ut recipiat esse à principio viventi, simili in natura. At baptizatus recipit esse spirituale ab infideli, non tamquam à principio simili, scilicet in natura regenerationis per Baptismum, quamvis sit ille catechumenus, habeatque fidem, & sit in gratia constitutus. Hæc ille.

307.  
Arguitur  
contra Sanchio.

Sed dicit aliquis; iterum petitur principium, & supponitur, quod debet probari, scilicet in omnibus debere esse paritatem, inter filium carnalem & spirituales; quod tamen falsum esse ex eo colligitur, quod peccator fidelis non sit similis in natura ei, quem baptizat; quippe non tantum tribuit baptizato characterem Baptismi, in quo ei assimilatur, sed etiam gratiam sanctificantem, aut certe jus ad gratiam sanctificantem accipiendam, per Baptismum, quod jus constat ipsum amplius non habere; & tamen talis peccator est verus pater spiritualis, secundum omnes, & baptizatus ab eo verè filius ejus spiritualis, non magis vel minus, quam si baptizans esset in statu gratiæ.

Instatur.

Et sanè, ut Omnes fatentur, non baptizatus Baptismo fluminis, potest esse baptizatus Baptismo flaminis, id est, habere gratiam sanctificantem per amorem Dei perfectum super omnia; cur autem hæc similitudo non sufficiat ad veram paternitatem & filiationem spirituales?

308.  
Catechumenus per  
catechismum con-  
trahit cog-  
nationem  
ex c. 2. de  
Cogn. spir.  
Sanchez.

Nonne catechumenus contrahit veram cognationem spirituales per catechismum, estò nondum sit baptizatus? Audi Bonifacium 8. c. 2. de Cognat. spirit. in 6. Per catechismum, qui præcedit Baptismum, Sacramentorum fundamentum est januam reliquorum, cognatio spiritualis contrahitur. Atque hoc est tertium fundamentum.

Respondet Sanchez sup. eam cognationem esse valde imperfectam, & secundum quid, ac dispositionem quamdam ad cognationem perfectam, quæ ex Baptismo conturgit; ac proinde nil mirum, si ex catechismo, qui ad Baptismum dispositio est, Ecclesiâ sic statuentem, contrahatur. At cognationis perfectæ spiritualis quicumque non baptizatus est incapax. Ita Sanchez.

309.  
Cur magis  
per catechis-  
mum, quam  
Baptismum.

Sed quæret aliquis: cur magis incapax perfectæ cognationis, quam imperfectæ? Nonne & hæc oritur ex statuto Ecclesiæ? Fatetur Sanchez. Infero ego: ergo non baptizatus subditur statuti seu legibus Ecclesiæ; ergo posset Ec-

Bosco de Matrim. Pars II.

clesia, si vellet; statuere cognationem perfectam pro non baptizatis, qui alium baptizarent; vel ostende disparitatem, & de rationem, quare potius uno statuto, quam alio Ecclesiâ possit ligare non baptizatum, cum generaliter dictum sit: *Quid nobis de iis, qui foris sunt, judicare?*

Si ergo hæc Scriptura non improbat cognationem imperfectam, quam catechumenus, seu non baptizatus contrahit ex catechismo, neque improbabit cognationem perfectam, quam catechumenus, statuente Ecclesiâ, contraheret ex Baptismo alteri collato. Cumque Ecclesiâ nupiam prohibeat non baptizato baptizare, & generaliter statuat, cognationem perfectam contrahi ex collatione Baptismi, cur nos distinguere debemus inter baptizantem fidem & infidelem?

Videtur equidem tanta obligatio amicitiae & reverentiæ oriri in baptizato ergà baptizantem infidelem, quam fidem, cum æquale ab utroque recipiat beneficium; scilicet regenerationem spirituales, quæ non est major vel minor ex eo præcisè, quod baptizans sit fidelis aut infidelis.

Præterea (eritque quartum fundamentum Adversariorum) ex factis infidelitatis tempore benè oritur impedimentum, ut infidelis non valeat post Baptismum ducere eam, quæ infidelitatis tempore sibi facta est consanguinea.

Et confirmatur ex c. 1. De Convers. infidelium, ex quo constat, infidelem, occidentem virum Christianæ, machinante hæc in viri necem, non posse conversum ad fidem cum ipsa validè inire Matrimonium.

Respondet Sanchez sup. consanguinitatem esse quid naturale, & idè eam contrahi ab infidelibus. At cum cognatio spiritualis sit ex solo jure Ecclesiastico, cui infideles non subsunt, non potest ab infidelibus contrahi.

Ad confirmationem dic: in eo textu imponi poenam Christianæ illi, in odium ejus delicti, ne unquam possit illi infideli converso ad fidem nubere: & subinde nec infidelis conversus poterit eam ducere, quamvis ipsum infidelem non potuerit ligare Ecclesiâ: sed quia Matrimonium postulat utrumque conjugem habilem, eo ipso quod alter, subiectus Ecclesiæ, redditur ab ipsa inhabilis, nequit inter ipsos Matrimonium consistere. At cognatio spiritualis, utpotè res Ecclesiæ jure inventa, non potest contrahi ab infidelibus; nec etiam potest esse in solo fidelis. Hæc ille.

Sed enim, inquis, jam sup. ostensum fuit, & admissum à Sanchio, infidelem esse subiectum legibus Ecclesiæ quoad cognationem imperfectam, quæ contrahitur ex catechismo; ita ut si, catechismo facto, Baptismus impediretur, nequiret catechizatus licitè contrahere eum susceptore, ex statuto Ecclesiæ; si adhuc obliget, de quo alibi disputavimus. Cur ergo lex Ecclesiæ non posset etiam perfectam cognationem causare inter baptizatum &

D d infidelem

310.  
Tertium  
fundamen-  
tum Adver-  
sarium.

311.  
Argumen-  
tatur  
quarta.

Confirma-  
tio.

312.  
Resp. San-  
chez ad 4.  
arg.

Ad confir-  
mationem  
ex eod.

313.  
Impugnatur  
primò.



infidelem baptizantem, aut suscipientem? Cur enim una lex potius quam alia potest infidelem obligare?

314. *Secunda impugnatio, cui respondet Sanchez.*

Deinde quod in fine addit: *Nec etiam potest esse in solo fideli*, unde constat aut probatur? Respondet Sanchez sup. n. 14. Quia cum cognatio spiritualis sit quaedam relatio, non potest ab altero contrahi, quin ab utroque contrahatur. Quippe relatio duo extrema necessariò petit. Cum igitur infidelis incapax sit cujuscumque cognationis spiritualis, nequibit fidelis cum infideli eam contrahere. Et confirmatur; quia nec Matrimonium, nec cognatio carnalis, nec legalis possunt consistere nisi inter duo extrema habilia. Hæc ille.

*Lex Ecclesia irritans superponit consanguinitatem, non facit.*

Itaque consanguinitatem carnalem Ecclesia suâ lege non facit, sed supponit, & eâ suppositâ, decreto suo statuit, quòd talis consanguinitas in tali aut tali gradu dirimat, potestque suum inhabilitare subditum ad contrahendum cum eo, qui in eo gradu sit sibi sanguine conjunctus, sive id sit cum alio, etiam Ecclesiæ subdito baptizato, sive cum alio quovis; atque adeò non mirum, quòd etiamsi ille alius non sit subditus Ecclesiæ, sit nihilominus consanguineus alterius, qui est subditus Ecclesiæ, cum consanguinitas non dependeat ab Ecclesiæ statuto: cognatio verò spiritualis ita ab Ecclesiæ statuto dependeat, ut nisi Ecclesia id statuisset, nulla fuisset cognatio.

315. *Facit cognationem spirituales.*

Unde duo facit Ecclesia, & quòd sit spiritualis cognatio, & quòd hæc spiritualis cognatio impediat & dirimat Matrimonium. Prius ergò debet fieri ille non baptizatus cognatus, & postea ex vi talis cognationis inducitur ab Ecclesia impedimentum; cum autem non possit Ecclesia causare talem effectum cognationis in non baptizato, utpotè non sibi subdito, ad cognationem autem spiritualem, qualis nunc est, requiratur utrumque extremum, quia relatio est mutua; hinc est ut cognatio spiritualis non resultet in altero baptizato, eo ipso, quòd resultare non potest in altero non baptizato, atque adeò neque impedimentum ex cognatione resultans. Ita Dicastillo discurrit disp. 7. n. 240.

*Ejus non est capax infidelis, sive activè, sive passivè, ex Dicast.*

Docet hic Auctor cum Sanchio, infidelem sive baptizantem, sive suscipientem, neque activè neque passivè cognationis esse capacem, id est, neque directè contrahere cognationem, ita ut baptizans, vel suscipiens filium fidelis, verè contrahat cognationem cum persona à se baptizata vel suscepta, ac cum ejus parentibus: neque passivè, sive indirectè terminando cognationem fidelis, ita ut si fidelis baptizet filium infidelis, ipsumve suscipiat, ipse infidelis non contrahat cognationem cum fideli, benè tamen econtrâ fidelis cum infideli.

316. *Expenditur hæc doctrina ab Auctore.*

Quæ utique doctrina vera est, si vera sint ea, quæ supponit; nimirum infidelem non esse capacem cujuscumque cognationis spiritualis, quòd sup. falsum ostendimus in cognatione, quæ oritur ex catechismo, ad quam difficulta-

tem non respondet Dicastillo; imò eam non tangit, quamvis non dubitem; probè ei fuisset notam, cum in Sanchio differis verbis exprimat.

Secundò supponit contrâ Nonnullos ( ut notat Dicastillo sup. n. 241. ) cognationem & impedimentum inde ortum; non idem omninò esse, sed unum oriri ex alio Ecclesiasticâ constitutione, Sed ex quo hoc probatur?

Ni fallor ( inquit Dicastillo ibi ) efficaciter probatur in cognatione compaternitatis, v. g. in cognatione spirituali inter Parochum baptizantem & Patrem baptizati; inter quos, utpotè inter duos viros, non intercedit Ecclesiasticum impedimentum Matrimonij; nam impedimenta Ecclesiastica, maximè merè Ecclesiastica, solum statuuntur comparatione personarum, alioquin naturâ suâ capacium copulæ carnalis, ordinatæ ad generationem, ergò non identificatur impedimentum cum cognatione, sed impedimentum supponit cognationem inter personas, alioqui sibi mutuo capaces copulandi.

Possit quidem Ecclesia, si vellet, impedimentum inducere dirimens inter baptizatum, & non baptizatum, eo ipso quòd v. g. non baptizatus alterum baptizavit ( distinctum ab alio impedimento, quòd de facto est, propter cultûs disparitatem ) id tamen non fecit; quia tale impedimentum voluit esse cognationem spiritualem, quam ipsa quòque Ecclesia instituit, & hanc non fecit esse inter baptizatum & non baptizatum; quia defuit potestas Ecclesiæ circa non baptizatum, ad instituendam mutua cognationem, quamvis non defuerit potestas ad instituendum impedimentum ex parte sui subditi ad irritandum Matrimonium cum altero non subdito; ut re ipsâ factum est in impedimento disparitatis cultûs, in quo, quamvis non baptizatus non sit subditus Ecclesiæ, nihilominus potuit indirectè impediri ab Ecclesia, impediendo alterum baptizatum sibi subditum, ne validè contraheret cum persona non baptizata. Hactenus Dicastillo.

Expendamus singula. In primis, dicit aliquis: quid opus erat recurrere ad cognationem compaternitatis, cum quotidie idem occurrat in cognatione paternitatis, quando baptizans & baptizatus sunt ejusdem sexûs? Deinde: si inter illos, qui sunt ejusdem sexûs, non intercedit impedimentum Ecclesiasticum, sequitur; tactus, & alios actûs inhonestos inter ipsos, non accipere specialem malitiam incestûs ex ea cognatione sive paternitatis, sive compaternitatis.

Probatur sequela; quia si Ecclesia legem suam irritantem revocaret, nequidem fornicatio foret specialiter illicita, ut patet in cognatione carnali, ex qua olim usque ad 7. gradum oriebatur malitia incestûs; hodie autem non oritur nisi usque ad quartum gradum, eò quòd impedimentum dirimens in ulterioribus gradibus sublatum,

317. *Probat non idem esse cognationem & impedimentum, ex Dicast.*

318. *Contra hanc probationem arguitur.*

*Secundâ.*



sublatum. Igitur impedimentum Ecclesiasticum, sive cognationis carnalis, sive spiritualis, etiam aliquo modo reperitur inter personas, alioquin naturam suam incapaces copulae carnalis, ordinatae ad generationem. Aut certe nec copula sodomitica inter eas habet specialem malitiam incestus. Et verò qualem effectum potest habere cognatio illa spiritualis inter Sacerdotem baptizantem, & patrem baptizati, nisi specialem prohibitionem turpitudinis inter illos, intuitu propinquitatis contractae ex Sacramento?

Denique: si Ecclesia potuit velle inducere impedimentum inter baptizatum, & baptizantem non baptizatum; unde, rogat quispiam, constat, id non fecisse, cum tota ratio constituendi hoc impedimentum inter baptizatos, militet etiam in hoc casu? Quippe ratio est reverentia, quam baptizatus debet baptizanti, eò quòd ab ipso fuerit spiritualiter regeneratus. Et quis negare potest, infidelem baptizantem spiritualiter regenerare baptizatum? Nonne omnis Baptismus, à quocumque collatus, est regeneratio? *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, ait Christus Ioannis 3. v. 5. Et quis dicere audeat, baptizatum ab infideli non fore renatum ex aqua & Spiritu Sancto, & per consequens non posse introire in regnum Dei?

Atque haec renascentia est totalis ratio huius impedimenti, quod Ecclesia expressit illo nomine cognationis spiritualis; unde hoc ipso quòd Ecclesia sustulit impedimentum inter baptizatum & filios baptizantis, etiam abstulit cognationem spiritualem inter eos, & hoc ipso quòd est impedimentum inter aliquos ratione Baptismi aut Confirmationis, possunt & debent vocari cognati spirituales. Supposito ergò quòd Ecclesia potuerit impedimentum inducere inter baptizatum & baptizantem infidelem, ratione collati Baptismi, etiam potuit eos facere cognatos spirituales, nisi velimus movere quaestionem de nomine.

Et verò si potuit infidelem facere cognatum imperfectum in Catechismo, cur non etiam perfectum in Baptismo? Haec sunt, quae opponi possent contra hanc doctrinam. Expectabo responsionem.

Interim quaero, utrum rectè Sanchez ex sua doctrina deducat sup. n. 15. nec eam cognationem spiritualem convalescere, ac oriri cum parentibus illis infidelibus, licet postea illi baptizentur. Quia, inquit ille, quòd à principio irritum fuit, convalescere nequit, Reg. *Non firmatur* de Reg. juris in 6. & Reg. *Quod ab initio, ff. eod.*

Sanchium sequitur Dicastillo sup. n. 243. Rationem dat: Quia cum non baptizatus non esset subditus, non factus fuit ab Ecclesia cognatus spiritualis alterius; atque adeò nec resultavit impedimentum ex tali cognatione. Quòd autem postea superveniat Baptismus, non sufficit, ut impedimentum resultet; quia nec Baptismus sufficit, ut resultet cognatio praerequisita ad impedimentum. Nam cognatio tunc tantum

Bosco de Matrim. Pars II.

debet causari, quando fit actus sufficiens ad illam causandam, qui in nostro casu nunquam fit; quando enim ille non baptizatus baptizavit, actus ille non fuit sufficiens ad causandam cognationem, utpotè proveniens à non baptizato. Postea verò, quando jam est baptizatus, talis actus non fit, nec fieri potest, & actus, qui ab initio irritus fuit, & transivit, non acquirit vires pro hoc tempore; quia juxta Reg. *Non firmatur*, de Reg. juris in 6. & Reg. *Quod ab initio, ff. eod.* quòd à principio irritum fuit, tractu temporis convalescere nequit. Haec ille,

Quibus non obstantibus, Coninck disp. 32. n. 27. docet, si Petrus suscipiat filium Paulae, adhuc infidelis, & haec postea baptizetur, eos irritè contrahere. Nam, inquit, etsi inter eos non oriatur haec cognatio, quamdiu alter est infidelis, nascitur tamen statim atque ipse convertitur, non quidem immediatè ratione Baptismi, qui jam praeteriit, sed ratione paternitatis, quae orta est inter fidelem suscipientem & baptizatum, quae postea inter suscipientem & baptizati parentes gignit compaternitatem, statim atque hi sunt ejus capaces. Sicut olim proles v. g. Petri, hoc ipso quòd baptizabantur, contrahebant cognationem spiritualem cum eo, quem Petrus jam ante susceperat, ut patet ex c. 1. de Cognat. spirit. in 6. quam tamen nullo modo contrahebant, dum alter baptizabatur, etsi tunc fortè essent natae, si nondum erant baptizatae.

Ubi nota: tam baptizantem, quam suscipientem, immediatè solum contrahere hanc cognationem cum baptizato, & hac mediante cum ejus parentibus; idque vel eodem instanti, si tunc ejus capaces sint, vel postea statim ac capaces fiunt, Hucusque Coninck.

Sed ego in d. cap. 1. nihil aliud lego, quam baptizatum contrahere cognationem spiritualem cum filiis suscipientis, & uxore antea carnaliter cognita. An autem id intelligi debeat de solis filiis jam natis & baptizatis, vel etiam de filiis non baptizatis, & nondum natis, hoc ipso quòd baptizabantur, textus ille non loquitur: sed de filiis postea natis habetur c. 1. de Cognat. spirit. ibi: *Et licet primus Canon exinde editus, natos post compaternitatem ad invicem copulari prohibeat: alter tamen Canon posterius editus, primum videtur corrigere, per quem statuitur, ut sive ante, sive post compaternitatem geniti sunt, simul possint conjugi, excepta illa persona dumtaxat, per quam ad compaternitatem venit.* Ita Alex. 3. Salernit. Archiepiscopo. Fortè Coninck voluit hoc cap. citare, & per errorem typographi additum est ly in 6. Canon autem, quem hic citat Pontifex, tanquam posterius editus, est Urb. 2. & refertur 30. q. 3. cap. 4.

Interim ad hoc argumentum Coninck, respondet Dicastillo sup. n. 245. Quamvis concederemus, compaternitatem in matre baptizati non oriri immediatè ex Baptismo, sed mediante filio spirituali, oritur tamen non mediante relatione, ut Adversarii volunt, sed mediante generatione spirituali, quae fit per ipsum actum tenendi, & suscipiendi ex sacro fonte, qui actus

D d 2

est

319.  
Ternio.

320.  
Renascentia est totalis ratio huius impedimenti.

321.  
Cognatio spiritualis non convalescit post Baptismum infidelis, juxta Sanchez.

Eum sequitur Dicast.

322.  
Oppositum docet Coninck.

Probat à simili. ex c. 1. de Cognat. Spir. in 6.

323.  
Expenditur d. textus.

324.  
Resp. Dicast. ad arg. Coninck.



est fundamentum seu conditio fundandi (ut cum dialecticis, aut metaphysicis loquar) tum relationem paternitatis & filiationis spiritualis inter patrum & baptizatum, tum compaternitatis inter patrum & matrem; cumque illa generatio spiritualis & actus ille tenendi & suscipiendi, initio quando extitit, non causaverit relationem compaternitatis, propter defectum Baptismi requisiti in Berta matre; postea verò, quando mater baptizatur, non existat actus generandi spiritualiter, vel tenendi seu levandi ex sacro fonte, nec tunc consurget relatio, atque adeo nunquam; prius quidem propter defectum in termino, postea verò propter defectum fundamenti seu conditionis fundandi. Hæc ille.

325.  
Oppugnatur.

Sed contra: etiam in casu, à Coninck adducto, quando proles nascitur, aut baptizatur, deficit fundamentum seu conditio fundandi fraternitatis spirituales, scilicet susceptio ex sacro fonte; & quando hæc susceptio erat, deficiebat terminus, quia vel nondum nata erat proles, vel nondum baptizata.

Resp. Authoris.

Ad hoc non respondet Dicastillo; ego autem video responderi posse, terminum à principio fuisse, scilicet prolem, non quidem in se ipsa, sed in semine patris; qui erat baptizatus, ut supponitur; atque adeo contraxit cognationem spirituales pro se, & pro omnibus in semine suo contentis, pro illo tempore quando forent capaces cognationis huiusmodi contrahendæ.

Fuit igitur à principio illa cognatio valida, ut proinde non habeant hic locum dd. Reg. juris: *Non firmatur &c. Quod ab initio &c.* At verò in nostro casu quando ambo parentes sunt infideles, actus omnino fuit irritus, id est, non fuit contracta cognatio cum aliqua persona, in qua altera, ad quam postea extenditur, formaliter vel virtualiter continebatur.

326.  
Replica solvitur.

Quinimò, reponit quispiam; contracta fuit cognatio cum puero baptizato. Planè sic est; sed nunquid in puero baptizato formaliter vel virtualiter continentur parentes? Constat quòd non, sed oppositum est verum: nam continentia illa virtualis non est aliud, quam virtus causæ producendi suum effectum,

Quid si sola mater sit infidelis, pater autem baptizatus.

Quid ergò, inquis, si alter dumtaxat parens v. g. mater sit infidelis, pater autem baptizatus? Iam enim patrinus contrahet ab initio cognationem cum patre fideli, mater autem infidelis una est cum ipso caro; cur, putas, illa unitas non sufficiat, ut exurgat in matre infideli cognatio, postquam fuerit baptizata? Nunquid olim cognatio paternitatis & compaternitatis transfundebatur à viro in uxorem, eò quòd essent una caro effecti per copulam carnalem? Prorsus, ut supra vidimus.

Igitur tanta videtur esse connexio uxoris cum viro, quanta prolium cum parentibus; si ergò proles nondum natæ contrahebant cognationem in parentibus, quidni & uxor infidelis possit eam contrahere in viro fideli pro eo tempore, quo erit fidelis; sicut proles contrahebant pro illo tempore, quo forent natæ & baptizatae?

327.

Hanc difficultatem non tanguit DD. sed

aliam sibi objicit Dicastillo sup. n. 246. dicens: Unum tamen est, quod secundum hunc modum philosophandi posset ingerere aliquam difficultatem; nempe, si fortè contingat, quo tempore baptizatur quis, etiam matrem alioquin baptizatam esse mortuam, postea verò per miraculum resurgat; fore concedendum, illam feminam resurgentem non habere cognationem spirituales compaternitatis cum baptizante, propter eandem rationem, imò fortiore; quia quando extitit generatio spiritualis, non existebat mater illius filij, qui tunc baptizabatur, atque adeo non consurrexit relatio compaternitatis, ex defectu termini; postea verò, quando mater jam existit rediviva, non existit generatio, quæ est fundamentum seu conditio fundandi talem relationem. Hoc autem fortassè alicui videbitur durum concedere. Ita Dicastillo.

Alia difficultas ex Dicast.

Et quid putatis, ipsum respondisse ad hanc difficultatem? Concedit totum; nec video, inquit, inconveniens in eo concedendo: multa enim absurda primo aspectu, quæ reverà non sunt absurda, sequuntur, aut sequi possunt ex prædictis miraculosis resurrectionibus, de quibus suis locis disputandum est, cuiusmodi sunt casus mortui professi & resurgenti; nam qui professus erat, si semel mortuus resurgat, non resurgit obligatus Professione, juxta Multorum sententiam, sicut nec conjugatus resurgit conjugatus & obligatus uxori; tamen hæc non sunt absurda.

328.  
Ejus responsio.

Et quod attinet ad nostrum casum, Sanchez sup. n. 11. & 15. expressè concedit, valere Matrimonium cum illa persona, quæ propter defectum Baptismi non fuit capax cognationis spiritualis, quando hæc fuisset contrahenda, si postea baptizetur, & tollatur impedimentum disparitatis cultus. Hucusque Dicastillo.

Rectè quidem ad hanc difficultatem; cum enim per mortem prius Matrimonium dissolutum fuerit (juxta illud Apostoli 1. Cor. 7. v. 39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat*) neque in se ipsa, neque in suo aliquando viro potuit eam cognationem contrahere, quandoquidem dum puer baptizatur, amplius non sit suus vir; quid ergò mirum, si post miraculosam resurrectionem à mortuis, non habeat spirituales cognationem, quæ respectu ejus ab initio omnino fuit nulla?

329.  
Approbat ab Authoris.

Siquidem, ut supra audivimus, *Non firmatur tractu temporis, quòd de jure ab initio non subsistit.* Quippè tempus non est modus inducendæ vel tollendæ obligationis; arg. l. 44. ff. de Oblig. & act. ibi: *Placet etiam ad tempus obligationem constitui non posse.* Quòd accidit, ut & sponsalia à minoribus septennio, vel Matrimonium ab im-  
puberibus contractum, tractu temporis non convalescant, eò quòd inutiliter eà ætate contrahantur. Nisi fortassè, superveniente legitima ætate, per novum consensum sponsalia, vel Matrimonium confirmantur expressè vel tacitè; vel nisi ratiabitione meâ, quòd malè ab alio ge-  
stum

Tempus non est modus inducendæ obligationis.



stum est, à me comprobetur. Verùm hæc novo consensu, non tractu temporis firmantur.

330. *Occurrit objectioni.*  
Nec valet, si dixeris: etiam in casu proposito non firmabitur cognatio tractu temporis, sed susceptione Baptismi. Respondetur enim disparitatem nimis magnam esse; videlicet, novum consensum esse totalem causam obligationis, quæ de novo oritur ex sponsalibus, aut Matrimonio; at verò Baptismus parentum infidelium, nullatenus est causa istius cognationis, sed ad summum reddit parentes capaces contrahendæ cognationis ex Baptismo filij, qui amplius non est, ut supponitur, nec amplius poni potest per quamcumque ratiabitionem prioris Baptismi, aut iteratam collationem novi Baptismi.

331. *Probatio à simili.*  
Appositè Gloss. D. Reg. 210. ff. de Reg. juris verb. *Quæ ab initio: Si impubes, inquit, vel furiosus testetur, non valet: licet pubes vel sana mentis postea factus fuerit, ut Insti. Qui test. am. succ. poss. §. Præterea.*

Sed cur hoc? Iam enim est capax condendi testamenti. Planè est capax, & idèò testamentum, quod nunc facit, valet; licet non valeat, quod antea factum fuerat, juxta D. Reg. *Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto (id est, tractu temporis) convalescere non potest: Et tamen hic etiam reperitur aliquid præter lapsum temporis, scilicet pubertas vel sana mens. Sicut ergo hoc non sufficit, ut illud testamentum valeat; sic neque in nostro casu satis est, ut parentes jam sint baptizati, qui erant infideles tempore Baptismi, ex quo debebat oriri cognatio spiritualis.*

Cæterum, omnes has difficultates evadunt illi, qui docent non baptizatum esse capacem cognationis spiritualis, æquè ac baptizatum, eamque contrahere si baptizet, aut verè suscipiat. Dico: *Verè suscipiat*: quia Multi docent eum invalidè suscipere & non tantum illicitè; atque adeò nullum, ut supra insinuavi, ex susceptione hujusmodi contrahere impedimentum, etò baptizando contraheret.

332. *An non baptizatus valide suscipiat in Baptismo.*  
Ita Gloss. cap. 202. de Consecr. Dist. 4. *In Baptismate vel in Chrismate, non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus. Ubi verb. Suscipere, sic interrogat: Sed quid si suscipiat? Respondet: Dicunt quidam, quòd non contrahitur compaternitas: secus si baptizet.*

333. *Saltem suscipi illius.*  
Isti autem Quidam non possunt habere aliud fundamentum suæ distinctionis, quàm quòd Baptismus valeat, secus susceptio; ut insinuat Sotus 4. dist. 4. q. un. §. *Contra secundam, in fine, ibi: Quocircà, ut illic ait Glossa, si infidelis baptizat, contrahit subinde affinitatem; non autem si sit susceptor; quia dumtaxat est factus, non jure.*

Et quidem, si Sotus intelligat per jus, permissionem seu approbationem Ecclesiæ, benè optimè negat, infidelem jure suscipere, id est, licitè suscipere, id enim ad minus probat d. cap. 202. Sin autem intelligat irritationem, quasi infidelis, licet de facto suscipiat, invalidè tamen, ei contradiximus Parte primâ hujus Operis Disp. 2. Sect. 6. Conclus. 4. Nam *ly Non potest, quo utitur d. cap. non semper est particula irritans, ut*

ibi ostendimus, alioqui etiam invalida foret susceptio in Confirmatione ab eo facta, qui non foret confirmatus, quod plurimi negant, ut infra videbimus.

Dico ergò rursùm: probabile esse, infidelem non solum validè baptizare, sed etiam validè suscipere; & per consequens, si contrahat cognationis impedimentum baptizando, etiam contrahere idem impedimentum suscipiendo.

Quinimò Nonnulli apud Sanchez disp. 60. n. 4. docent, infidelem baptizantem filium fidelis, non contrahere cognationem; secus si teneat in Baptismo vel Confirmatione. Quòd baptizans non exerceat eum actum nomine proprio, sed vice Spiritus sancti; at tenens non exerceat nomine alterius, sed proprio.

Sed nobis non placet hæc doctrina: nam etiam fidelis baptizans non exerceat eum actum nomine proprio, sed vice Spiritus sancti, juxta illud D. Aug. tract. 6. in Ioan. ante medium; ibi: *Quid ergo per columbam didicit, ne mendax postea inveniretur, quod advertat à nobis Deus opinari, nisi quandam proprietatem in Christo talem futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive justis, sive injustis, non tribueretur sanctitas Baptismi, nisi illi super quem descendit columba, de quo dictum est: Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Petrus baptizet; Hic est qui baptizat: Paulus baptizet; Hic est qui baptizat.* Iam autem nullus negat, fidelem baptizantem contrahere cognationem, Et aliunde, non baptizatus Baptismo fluminis, potest esse baptizatus Baptismo fluminis.

Quod verò additur: *At tenens non exerceat nomine alterius, sed proprio*; est contra plurimos Doctores, qui volunt, tenentem id exercere nomine Ecclesiæ; & idèò invalidè tenere, quia non est membrum Ecclesiæ; & per consequens, non facit nomine Ecclesiæ, quod videtur requiri ad valorem illius cæremonix, quæ ab Ecclesia est instituta.

Et sanè, si quid probet, hanc susceptionem esse invalidam, est hoc argumentum, quod nusquam invenio solutum; & propter ipsum inducitur hæc sententia, quæ videtur magis communis, satis apparet probabilis. Interim, quia etiam ex nullo textu constat, hanc cæremoniam debere fieri nomine Ecclesiæ, & Ecclesia potuit velle, ut validè fieret etiam ab infidelibus, quid enim obstat? Ac aliunde in re dubia præsumitur pro valore actus; hinc dicimus, talem susceptionem fore validam, saltem quoad obligationem instruendi, quæ quasi naturaliter consequitur talem actum, & cedit in maximum favorem baptizati, quo non oportet eum privare sine manifesto textu.

Et quamvis communiter infideles nequeant instruere, cum ipsimet instructi non sint, propter quod Ecclesia prohibuit, tales admitti ad susceptionem; equidem fieri potest, quòd instructi sint, & alios instruere possint, fortè melius, quàm illi qui sunt baptizati.

Et verò hæretici nonne melius possunt instruere, quàm infideles? Et tamen eorum sus-

*Probabiliter valet susceptio.*

334. *An infidelis suscipiendo incurrit impedimentum secus baptizando.*

*Rejicitur sententia affirmans.*

335. *Arg. pro susceptione invalida.*

336. *Vales hæreticorum susceptio, ceptio.*



ceptio, quàmvis illicita, valida est, si igitur incapacitas instruendi non irritat susceptionem hæreticorum, nec irritabit susceptionem infidelium, saltem quoad obligationem instruendi, quam quisque sibi ipsi potest imponere, & censetur imponere, suscipiendo voluntariè officium, quod talem obligationem habet annexam. Unde hæc obligatio oritur in non baptizato, non tam ex lege Ecclesiæ, quàm propria voluntate, quâ se constituit fidei iussorem; quod potuisset facere, etiam seclusâ omni lege Ecclesiæ.

337. Unde quod bene notandum est, in Rit. Rom. tit. de Sacram. Baptismi §. De patrinis, infideles conjunguntur hæreticis, & aliis, quos prohibet admitti ad hoc munus, tametsi si admittantur, validè suscipiant, ibi. *Sciunt præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles aut hæreticos &c.*

Neque eo loco fit mentio alicujus cognationis, sed tantum instructionis, ibi: *Nec qui ignorant rudimenta fidei: Hæc enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur.* Sicut ergo ignorantibus rudimenta fidei, tametsi instruere non possint, si tamen suscipiant, contrahunt obligationem instruendi vi officij sui; quippè valet eorum susceptio; quid ni similiter infideles?

338. Imò quidni contrahant cognationem spiritua- lem, quæ non est de substantia hujus muneris, sed quid merè accidentale, quasi effectus, ex decreto Ecclesiæ annexus; contrahant, inquam, eâ ratione, quâ illud impedimentum contrahunt hæretici, & alij ibi enumerati? Nonne ille, qui, tanquam membrum putridum, præcisus est ab Ecclesia per excommunicationem, potest aliquid operari nomine Ecclesiæ? Et tamen validè potest suscipere de sacro fonte, & contrahit suscipiendo impedimentum cognationis spiritualis. Scio hæreticos & excommunicatos habere characterem baptismalem; sed quod hic requiratur, unde constat? Non utique ex eo, quod debeat suscipere nomine Ecclesiæ, ut jam ostensum est.

339. Attendite Glossam 30. q. 1. c. 1. verb. *Ex lavacro*, ubi sic lego: *Dicunt quidam, quod si suscipio filium judæi de sacro fonte, inter me & ipsum non contrahitur compaternitas; quia nihil ad constitutionem Ecclesiæ de iis, qui foris sunt, 2. q. 1. Multi. Unde si judæa postea convertatur ad fidem, possum cum ea contrahere, quia non reviviscit, quod nihil fuit. Dicunt tamen, quod si esset secundum legem Mosaicam, quod contraheretur inter eos compaternitas per circumcisionem, sicut nunc per Baptisma contrahitur. Inter susceptum autem & suscipientem in iis, quæ præcedunt Baptismum, contrahitur vinculum compaternitatis, & licet adhuc non sit in fide, vel in veritate ante Baptismum, ut 28. q. 1. Cave: destinatione tamen quâdam fidelis reputatur, extra de Baptismo. Majores, vers. Si quamvis.*

Hugo tamen & R. dicunt, quod inter me & judæam, cujus filium de sacro fonte suscipio, contrahitur compaternitas, unde non possum postea cum illa, ad

*fidem conversa, contrahere. Item dicit H. quod bene contrahitur compaternitas inter me & patrem suscepti de sacro fonte, licet sit hæreticus, si aliquando fuerit baptizatus.*

Quam Glossam (inquit Pontius lib. 7. cap. 40. n. 1.) à Doctoribus approbatam, in sua summa scribit Auctor Rosellæ verb. *Impedimentum, impediri. 6. n. 26. Antoninus 3. part. tit. 11. cap. 13. §. 14. Angelus verb. Matrimonium, 3. n. 11. Sylvester verb. Matrimonium, 8. q. 8. dicto 12. In qua sententia, licet falsò, creditur esse D. Thomas.*

Negant verò contrahi pauciores; sed inter eos unus, qui pro mille, est D. Thomas, quidam Sylvester dicat. Nam in 4. dist. 42. q. 1. a. 3. scripsit, cum uxore non baptizata nequam cognationem contrahi spiritualement, quia spiritualis vitæ est expers, quæ sententia non unâ probatur ratione.

341. Prima est; quia quàmvis certum sit, hæreticum capacem esse ejus cognationis, si gentilis vel infidelis baptizet aliquem, vel suscipiat quempiam, cum eo, quem suscipit, vel baptizat, nullam cognationem spiritualement gignit, cum ejus non baptizatus sit minimè capax. Ergo pari ratione, neque Christianus baptizans, aut suscipiens contrahit cognationem aliquam cum infideli parente. Antecedens autem docent D. Thomas, Richardus, Paludanus in 4. dist. 42. & testatur Sotus 4. dist. 42. q. 1. art. 3. Hæc ille.

Prorsus testatur Sotus, dum ait, Glossam *Quid sentiant. In Baptismate*, quæ distinguit inter baptizantem & suscipientem, ut supra vidimus, nullâ ratione fulciri. Quamquam ipsemet rationem aliquam assignet. 4. dist. 4. q. un. a. 5. dicens: *Quocirca, ut illic dicit Glossa, si infidelis baptizat, contrahit subinde affinitatem; non autem, si sit susceptor, quia dumtaxat est factò, non jure. Sed de hoc supra satis dictum est.*

Quantum ad Paludanum, loco cit. q. 1. a. 1. conclus. 3. n. 8. ad medium, sic ait: *De hoc autem quod dictum est in primo, non baptizatum tenentem non contrahere, potest distingui, ut nullo modo baptizatus non contrahat; quia non potest esse quis cognatus in vitâ, quam nullo modo participat; sicut non est de tribu aliqua Judæorum, qui non est de genere eorum: sed catechumenus est jam baptizatus Baptismo flaminis, & in vita spirituali quasi in utero natus, etsi non ex utero: ergo est jam cognatus: ergo sicut puer adhuc in utero existens, licet non agnoscatur consanguineus parentum, antequam animetur animâ rationali, quia inter bruta non est consanguinitas, & embrio prius vivit vitâ plantæ; tamen postquam est verus homo, jam agnoscutur: unde si mulier primò pariat abortivum, prius tamen animatum, secundò editus non videtur esse primò genitus, sed secundò; licet quoad aliquid non videatur peperisse filium, quæ edidit mortuum; quia qui in utero est, pro nato reputatur, cum de ejus utilitate agitur. Hæc ille.*

Ubi, ut vides, admittit non baptizatum Baptismo

*In Rit. Rom. infideles conjunguntur hæreticis.*

*Probatum infideles contrahere cognationem.*

*Est sententia Hug. ex Gloss. 30. q. 1. c. 1.*

340. *An hæc Glossa sit approbata à DD.*

*Pauciores negant contrahi cognationem. An inter illos D. Tho. affirmat Pont.*

*Prima ratio pro hac sententia.*

*Quid sentiant Sotus.*

*Quid Paludanus.*

343.



Existimat  
catechumen-  
num posse  
contrahere.

tismo fluminis, dummodo sit baptizatus Baptif-  
mo fluminis, posse contrahere cognationem;  
non solum imperfectam, tenendo in catechif-  
mo; sed etiam perfectam, tenendo in Baptifmo.  
Ergo non bene adducitur à Pontio pro senten-  
tia, quæ generaliter docet, non baptizatum non  
posse contrahere cognationem spiritualem, sive  
baptizando, sive suscipiendo in Baptifmo.

Et verò plerique concedunt, ut supra dictum  
est, infidelem catechumenum posse contrahere  
cognationem ex catechifmo, quæ tamen non  
oritur, nisi ex statuto Ecclesiæ. Si autem subest  
huic statuto, cur non etiam alteri? Quia, in-  
quis, ut dicit Gloss. sup. *Licet adhuc non sit in fi-  
de, vel in veritate ante Baptifmum, destinatione ta-  
men quâdam fidelis reputatur.*

344.  
Quare ca-  
techumenus  
potius con-  
trahat cog-  
nationem  
ex catechif-  
mo, quam  
ex Baptif-  
mo.

Sed quæro ego, quare illa destinatio non et-  
iam sufficit, ut contrahat cognationem ex co-  
quod baptizet, aut teneat in Baptifmo? Quia,  
ais, hæc cognatio est perfecta, fides autem cate-  
chumeni solum imperfecta, quæ licet sufficiat  
pro cognatione imperfecta, haud equidem pro  
perfecta: nisi velis admittere, catechumenum  
aliis etiam impedimentis Ecclesiasticis, puta  
consanguinitatis, affinitatis & similibus obliga-  
ri, quæ enim ratio disparitatis?

Et idem argumentum formari posset contra  
illos, qui absolute docent infidelem baptizan-  
tem, aut valide tenentem contrahere impedi-  
mentum dirimens cognationis spiritualis; quæ-  
ri, inquam, posset ab illis, cur similiter non ad-  
stringantur aliis impedimentis juris Ecclesiasti-  
ci, à quibus tamen communiter eximuntur, eò  
quod non subsint legibus Ecclesiæ, quæ non  
judicat de ijs, qui foris sunt?

345.  
Quare po-  
tius possit o-  
bligari hoc  
impedimen-  
to, quam  
alijs.

Hoc argumentum non invenio apud aliquem  
Auctorem solutum, nec apparet facilis solutio,  
nisi retorquendo ipsum & dicendo; catechu-  
menus olim antequam foret baptizatus, obliga-  
batur lege Ecclesiæ prohibente Matrimonium;  
nam per catechifmum, qui præcedit Baptifmum,  
cognatio spiritualis contrahebatur, per quam  
Matrimonium contrahendum impediatur jure  
Ecclesiastico; & tamen catechumenus ante Bap-  
tifmum est foris, sive extrâ Ecclesiam, & non  
tenetur aliis impedimentis Ecclesiasticis.

Et quamvis cognatio ex catechifmo sit im-  
perfecta; equidem lex, ex quâ oritur in ratione  
legis, tam perfecta est, quam ea, ex qua oritur  
impedimentum dirimens cognationis spiritualis;  
cur ergo potius uni, quam alteri subjectus erit?  
Vide quæ de hac disparitate diximus Sect. 2.  
Conclus. 5.

346.  
Incertum  
est, an perso-  
ne non bap-  
tizate con-  
trahant hoc  
impedimen-  
tum.

Igitur, ut finem imponamus huic Conclu-  
sioni, certum est, contrahi hanc cognationem à  
personis baptizatis; incertum, an etiam personæ  
non baptizate eam contrahant; rationes adduxi-  
mus pro utraque parte: dispiciat eas lector, &  
quas deprehenderit magis solidas, ne rejiciat;  
sed in praxi eas amplectatur, & non errabit in  
fide aut bonis moribus.

Si autem à me quærat: an sicuti non bap-  
tizatus, baptizans aut tenens in Baptifmo non  
contrahit, secundum probabilem sententiam,

impedimentum spiritualis cognationis, quod  
alias contraheret, si esset baptizatus; an, inquam,  
consimiliter non confirmatus, confirmans aut  
tenens in Confirmatione liber sit ab hoc impe-  
dimento. Item; Utrum putans se tenere Pau-  
lum, & est Petrus, maneat impeditus? Respon-  
deo citius:

## CONCLUSIO VI.

Contrahit Impedimentum Cognationis Spiritualis non confirmatus, qui suscipit puerum in Confirmatione; neque obstat error Personæ.

Supponamus ea, quæ certa sunt. In primis: 347.  
hoc impedimentum contrahit non confir-  
matus, qui suscipit puerum in Baptifmo. Quip-  
pè nusquam ea susceptio interdicitur, nedum ir-  
ritatur, estque membrum Ecclesiæ per Baptif-  
mum.

Secundò: Omnes admittunt, Episcopum non  
confirmatum, si puerum confirmet, veram con-  
trahere cognationem; quamvis enim fortè illi-  
cité id faciat, validè tamen, juxta commissi-  
vam sententiam, de qua tractavimus proprio  
loco, scilicet Parte primâ hujus Operis Disp. 3.  
Sect. 3. Conclus. 5. in principio.

His suppositis tanquam indubitatis; probatur  
prima pars conclusionis primò, ex secundo sup-  
posito: quæ enim ratio disparitatis, ut magis  
Episcopus confirmans, quam suscipiens contra-  
hat cognationem? 348.  
Ex hoc pro-  
batur 1.  
pars Con-  
clus.

Respondet Sanchez lib. 7. disp. 60. ubi n.  
20. adhæret opposito nostræ Conclusionis, tam-  
quam probabiliori, respondet, inquam, disparita-  
tem esse, quod Episcopus, non insignitus chara-  
ctere Confirmationis, conferat verum Sacra-  
mentum Confirmationis, juxta Omnes; at non  
est verus susceptor.

Sed de hoc quæritur inter Doctores, an sit  
verus susceptor; & quod non, probatum oportet,  
non suppositum. Probatur, inquis, ex cap.  
In Baptifmate, de Consecr. dist. 4. In Baptifma-  
te vel in Chrisinate non potest alium suscipere in si-  
liolum ipse, qui non est baptizatus vel confirmatus.  
Quod verbum, Potest, (inquit Sanchez sup. n.  
20.) præpositâ negatione, tollit potentiam, &  
reddit actum nullum.

Respondet Dicastillo hic disp. 7. n. 254. Resp. Dic  
(ubi docet nostram Conclusionem tamquam  
probabiliorem) de particula negativa præposi-  
ta verbo, Potest, non est admodum certum, quin  
alij id negent; & licet in illis alijs textibus,  
quos allegat Sanchez lib. 6. disp. 38. n. 20. si-  
gnificetur, non solum actum esse illicitum, sed  
nullum; id locum habet, tum ratione materiæ,  
tum aliarum circumstantiarum.

Et sanè satis per se clarum videtur, verbum:  
Non potest, etiam in phrasi juris, non semper si-  
gnificare actum fore invalidum, aut nullum, si potest.  
atten-

Supponitur

1.

Secundam  
suppositum.

348.

Ex hoc pro-

batur 1.

pars Con-

clus.

Cujus oppo-

situm docet

Sanchez.

349.

Probat, Epif-

copum non

confirma-

tum haud

valide posse

suscipere in

Confir.

Resp. Dic

cast.

350.

Ly Non

attent-



non semper  
significat  
actum in-  
validum.

attentetur; sat enim est, quod sit illicitus. Sic rectè & bene dicimus, cum qui habuit votum Castitatis & Religionis, non posse Matrimonium inire & consummare; non quia, si fiat, factum non teneat; sed quia contra jus & fas. Unde ortum habuit illud vulgare Iurisperitorum axioma: *Id tantum possumus quod jure possumus*. Quare quod præponatur particula, *Non*, verbo, *possunt*, non sufficit ad colligendam actus nullitatem. Hæc ille.

Vide quæ diximus de hac re Part. 1. Disp. 2. Sect. 6. Conclus. 4. n. 53. & 54. ubi latius probavimus, ly, *Non potest*, in dicto can. *In Baptismate*, non importare nullitatem susceptionis in Baptismate.

351.  
Ly Non  
potest, est  
in differens  
ad phras.  
significan-  
dum.

Atque ut eam importaret, adhuc non sequitur, etiam susceptionem in Confirmatione esse nullam: quippe ly, *Non potest*, cum ex se indifferens sit ad sensum irritantem, & solum prohibentem; ut significet negationem potentiae facti, aut solius juris; ut inducat necessitatem impotentiae ad oppositum actum quoad valorem ejus, aut necessitatem solius obligationis; ut tollat potentiam solum civilem, seu ad se obligandum civiliter, vel etiam naturaliter; quid hic & nunc determinate significet, colligi debet ex subiecta materia, aut alijs circumstantijs. Jam autem ex subiecta materia colligunt Aliqui, significare irritationem susceptionis in Baptismo, secus in Confirmatione.

352.  
Quare po-  
tius signifi-  
cet irritatio-  
nem in  
Bapt. quam  
in Confir.

Siquidem non confirmatus habet esse spirituale, & est membrum Ecclesiae per Baptismum, ut supponitur; secus non baptizatus; & idem, secundum hos Doctores, Ecclesia, cujus typum gerit patrinus in Baptismo, voluit, irritam esse susceptionem in Baptismo, secus in Confirmatione.

Respondetur ex Sanchio supra: Quamvis habeat vitam spiritualem ratione Baptismi: at non habet conditiones petitas ab Ecclesia, ut verus susceptor sit, ut constat ex cap. *In Baptismate* &c. Quia is textus decidit, infidelem non posse esse susceptorem in Baptismo, quod idem decidit textus de fidei non confirmato, dicens eum non posse esse susceptorem in Confirmatione.

353.  
Fundamen-  
tum senten-  
tia San-  
chez.

Et ratio hujus decisionis fuit; quia sicut in naturalibus, ut quispiam generare valeat, exigitur ultra vitam, debitum ejusdem vitæ robur: ita ad susceptionem in Confirmatione, quæ habet rationem regenerationis, in quantum robur ad conservandam vitam spiritualem Baptismi confert, oportuit, ut patrinus robur vitæ per Confirmationem obtineret, utpotè qui representat tenens puerum ejus imbecillitatem in fide ac indigentiam, ut ab alio fortiori sustentetur. Ita Sanchez. Estque totum fundamentum suæ sententiæ.

354.  
Everitur à  
Dicast.

Quod utique bene evertit Dicastillo sup. n. 255. dicens: In ijs quæ per metaphoram & allegoriam dicuntur talia, non semper in omnibus servanda est proportio generaliter loquendo. Descendendo autem ad nostrum casum, & cognitionem spiritualem Patrini, patet, non esse necessarium ad spiritualiter, metaphoricè gene-

randum, expectare aliquod vitæ robur acquirendum; nam eo ipso quod quis est baptizatus, sine ulla Confirmatione & novo robore vitæ fidei, potest immediate esse Patrinus alterius, qui baptizetur.

Frustrà ergò requiritur in hac metaphorica vita novum robur per analogiam ad vitam & generationem naturalem: sicut frustrà, imò falsò, requireret quis ipsam vitam Baptismi, ut alterum baptizando generet per Baptismum: imò, ut dicebamus, pro prima sententia, Episcopus, non habens Sacramentum Confirmationis, potest validè causare generationem (ut sic dicam) Confirmationis, & verum Sacramentum conferre; ergò non est necessaria vita, seu robur vitæ ad contrahendam prædictam cognitionem ejusdem generis, Huculque Dicastillo.

Sed dicit aliquis; estd sit aliqua disparitas inter unam & aliam materiam, id est, inter susceptorem non baptizatum in Baptismo, & susceptorem non confirmatum, baptizatum tamen, in Confirmatione; equidem Ecclesia potuit utramque susceptionem invalidare; & certè invalidasse, videtur probari ex doctrina quadam Suarij lib. 5. de Leg. cap. 31. n. 14. ubi scribit, materiam, & alias circumstantias considerandas esse, ut plenum judicium illius verbi, *Non potest*, feratur.

Potestque (inquit) in primis considerari, an actus, cui forma præscribitur, pendeat ex potestate concessa à Principe vel Republica, vel ab auctoritate juris; ut est sententia, electio, alienatio bonorum communium, vel Ecclesiasticorum, & quælibet administratio publica, vel quæ publicè auctoritate fit; ut est officium tutoris, seu curatoris, & similia: an verò sit actus propriæ auctoritatis & dominij; ut est facere testamentum, alienare res proprias, &c.

In priori enim genere actionum valde probabilis præsumptio est, ubi lex prohibet actum vel modum actus, cum clausula: *Non possit*, vel *Non possit aliter*, limitare ipsam potestatem, ita ut actus aliter factus sit invalidus; tum, quia videtur lex loqui de potestate, quam ipsa vel Princeps concedit; tum etiam, quia idem, qui dat potestatem, censetur tunc ponere formam, & ita procedit regula supradicta, quod illa forma sit substantialis. Ita Suarez.

Quæ profectò doctrina, si vera foret & certa, videri alicui posset, etiam certum esse, quod Episcopus non confirmatus non sit verus susceptor, ut vult Sanchez. Quippè susceptio sive in Baptismo, sive in Confirmatione, non est actus propriæ auctoritatis aut Dominij, sed pendet ex potestate concessa ab Ecclesia, quæ cum prohibeat actum cum clausula: *Non potest*, videtur limitare velle ipsam potestatem, ita ut actus aliter factus, sit invalidus.

Et quidem non est dubium, quin lex illa Ecclesiae usu potuerit eo sensu recipi, & manere recepta: an autem recepta fuerit, non satis mihi constat; hoc scio, communiùs à Doctoribus eo sensu intelligi; quia tamen & contrariùs sensus suos habet fautores, & satis multos quantum ad suscep-

355.  
Confirma-  
tur sententia  
Sanchez.

356.  
Quando  
presume-  
tur ly  
Non po-  
test, irrita  
re actum,  
ex Suar.

357.

Susceptio in  
Sacramento  
non est actus  
propriæ au-  
thoritatis.



fufceptionem in Confirmatione, de qua hic tractamus; & aliunde irritatio actus odiosa est, perfisto in Conclusionem, & ad propositum argumentum ex adverso,

358.  
Rsp. ad  
arg. sup.  
pro Sanchio  
adductum.

Respondeo: non constare, Ecclesiam ab initio instituisse hanc cæremoniam, ut solum posset fieri à confirmato; nam ipsius meminit Iginus Papa (qui sedit anno 154.) ut refertur cap. 100. de Consecr. Dist. 4. In Catechismo, & in Baptismo, & in Confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit &c. Concilium porò Moguntinum primum, nam plura sunt, celebratum fuit sub Leone IV. qui sedit anno 851. ac proinde dictum cap. In Baptismate, quod in Decret. Grat. dicitur desumptum ex Concilio Moguntino, multis sæculis præcessit institutio hujus cæremonia.

Fuitque hoc Concilium tantum provinciale, adeoque non potuit immutare primam institutionem universalis Ecclesiae, & reddere susceptionem invalidam, saltem pro tota Ecclesia, quæ antea erat valida, neque præsumendum est id voluisse facere, etiam pro sola illa provincia, in qua Concilium illud celebrabatur; cum non soleant Concilia provincialia immutare constitutiones universalis Ecclesiae, maximè in his, quæ spectant ad Sacramentorum administrationem, in qua oportet esse magnam conformitatem inter particulares Ecclesias, propter inconvenientia, quæ aliàs orirentur.

359.  
Objectio.

Dices: Universalis Ecclesia recipit illam prohibitionem Concilii Moguntini in suo Pontificali, Clem. 8. jussu restituito ac edito. Siquidem Tit. de Sacramento Confirmationis sic lego: Nullus qui non sit confirmatus, potest esse in Confirmatione patrinus.

Solvitur.

Benè legisti. Sed nunquid attendisti ad ea verba, quæ mox subduntur? Videtur quòd non. Attende ergò nunc: Nec pater aut mater, maritus aut uxor. Et verò censet, patrem aut matrem, maritum aut uxorem invalidè suscipere? Nunquam legisti cap. 1. 30. q. 1. in quo jubentur separari viri ab uxoribus, qui aliquo casu natos proprios coram Episcopo tenent?

360.  
Confirmatio  
solutio.

Atque ut non deberent separari, five ex scientia, five ex ignorantia id fecissent, ut postea Ecclesia videtur constituisse, de quo alibi tractabimus; hinc non sequitur, susceptionem fuisse invalidam; sed Ecclesiam misericorditer indulgere petitionem, & redditionem debiti, ob majora inconvenientia evitanda.

Itaque Pontificale Romanum acceptavit constitutionem Concilii Mog. non tamquam irritantem, sed merè prohibentem, cum eisdem verbis prohibeat actum illum, scilicet per clausulã: Non potest, patri aut matri, marito aut uxori; cum tamen communis sententia doceat, has personas validè suscipere.

361.  
Plures sunt  
personæ, quæ  
illicite, vali-  
de tamen  
suscipiunt.

Et aliæ plures personæ sunt, ut Religiosi, excommunicati, &c. quæ etsi illicite, validè tamen suscipiunt in hoc Sacramento. Idque nullus negat; sed respondet Sanchez sup. n. 21. textus, qui prohibent Religiosis hanc susceptionem; putà, c. Placuit cõmuni, 16. q. 1. & cap. Non licet, de Conf.

Bosco de Matrim. Pars II.

dist. 4. non uti verbo aliquo, factum irritante.

Fateor; sed nego, verbum: Non potest, semper esse irritans; & assero, impræsentiarum, vel ex materia subjecta, vel ex alijs circumstantijs satis constare de sensu non irritante, quidquid sit de susceptore non baptizato. Plura de Patrino Confirmationis vid. Part. 1. hujus operis disp. 3. Secl. 3. Conclus. 6.

Pergo ad alteram partem Conclusionis; quæ etiam sub judice est, & cui contradicitur à Sanchio sup. n. 7. verius existimãte, errorem personæ invalidare susceptionem; ac proinde non contrahi per eã cognationis impedimentum. Consequentia est evidens, sed Antecedens à multis negatur.

362.

Probat autè à Sanchio, primò: ex cap. 2. de Cogn. spir. ubi deciditur, conjugem quæ per ignorantia levavit filium mariti, non arceri à debiti petitione. Secundò: quia reverà hic non intendebat exercere actionem illam veri Patrini ergà hunc, quem levavit: ergò deficit intentio quæ necessaria est.

An error  
personæ inã  
validet  
susceptio-  
nem.

Invalida  
probat San-  
chius.

Sed hæc argumenta sunt parvi momenti. Incipiam ab ultimo. Consentio Sanchez, intentionem levandi fore necessariã, quod probavi part. 2. probatio. 1. disp. 2. Secl. 6. Concl. 3. in princ. Nego autè in casu proposito defecisse intentionem; sicut in simili non deficit intentio, quando quis baptizat Paulum, putans esse Petrum.

363.

Oppugnat  
part. 2. probatio.

Respondet Sanchez supra Ministri Sacramentorũ tenentur animũ habere ministrandi Sacramentũ præsentem, quicumque ille sit. At Patrinus non tenetur habere eam intentionem, & verè eligitur ad personam determinatã, ut contingit in Matrimonio, quod ratione erroris personæ vitiatur.

Rsp. San-  
chez.

Prorsus vitiatur Matrimonium; quia multum interest, cum qua persona quis contrahat, ut constat ex alibi dictis, at verò nihil vel parum interest, quam personam quis suscipiat, sicut parum aut nihil interest, quam personam quis baptizet; & idè sicut baptizans tenetur habere intentionem generalem, seu indeterminatam, baptizandi quamcumque personam præsentem, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis; sic itidem suscipiens tenetur habere intentionem suscipiendi quamcumque personam præsentem, ne notabilis illa cæremonia omittatur, & baptizatus aut confirmatus careat spirituali fidejussore, quem alioqui haberet, & Sacramento semel validè ministrato, nequit in posterum accipere. Et aliunde non magis eligitur susceptor ad determinatam personam, quam baptizans, neque majora inconvenientia sequuntur ex uno errore, quam ex alio.

364.

Rejicitur.

Hoc itaque sit primum fundamentum nostræ Conclusionis: quia non est, cur negemus (inquit Dicast. sup. n. 271. ubi nostrã tenet sententiam tamquam probabiliorẽ) quòd sicut baptizans debet habere intentionem baptizandi illum, quæ præsentem habet, talemq; censetur habere, quoties non habet intentionem contrariã, ita similiter tenens, seu levans ex fonte sacro debeat velle tenere & levare illũ, quæ præsentem habet, idq; censetur velle, quoties non habet oppositã voluntatẽ. Undè etiam idè Sanch. putat hanc opinionem satis

365.

Primum  
fundamen-  
tum Concl.  
in Dicast.

E e

proba



probabilem. Atque in alijs actionibus hoc ipsum sæpè contingere solet. Illud merito concedit ipse Sanchez, & communiter Doctores, quòd si habeat intentionem suscipiendi præsentem, quicumque ille sit, talis cognatio omninò contrahatur. Hæc ille.

Et quid mirum, cum etiam talis intentio sufficiat ad contrahendam obligationem matrimonialem, etsi reverà erretur in persona? Nam solum est error speculativus, ut suo loco latius explicavimus. Solum differentia est, quòd talis intentio non præsumatur in Matrimonio, sicut præsumitur in Baptismo, & susceptione, saltem communiter.

366.  
*Limitatur.*

Quod addo; quia fortè tales occurrerent aliquando circumstantiæ, in quibus merito oppositum præsumeretur, videlicet noluisse suscipere, nisi hanc determinatam personam. Et si suscipiens reverà habuerit hanc actualem voluntatem, sive rationabiliter, sive irrationabiliter, liquet profectò, susceptionem hujusmodi non valuisse; atque adeò susceptorem nullam ex eà contraxisse cognationem. Sed, sicut dixi, communiter talis voluntas non præsumitur, aut opposita.

367.  
*Resp. ad c. 2. de Cogn. Spirit. c. 1. Coninck.*

Quid ergò, inquis, ad d. cap. 2. de Cognat. Spirit? Miror (inquit Coninck disp. 32. n. 34. ubi tenet nostram Conclusionem) viros doctos hoc caput pro ea sententia citare, cum in eo aperte idem planè dicatur de eo, qui scienter filium suæ conjugis suscepit, quem tamen constat contrahere cognationem spiritualem. Et eodem capite aperte innuitur, utrumque contrahere hanc cognationem; ob alias tamen causas, ibi relatas, deciditur, neutrum ab uxore separandum. Sic ille.

*Verba d. cap. 2.*

Hæc sunt verba d. cap. *Si vir vel mulier scienter, vel ignoranter filium suum de sacro fonte suscepit, an propter hoc separari debeant. Consultationi tua taliter respondemus, quòd quavis generaliter sit institutum, ut debeant separari: quidam tamen humanius sentientes, alter statuerunt. Ideoq; nobis videtur, quòd sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi: nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus.*

368.  
*Conjuges suscipientes proprias proles olim debeant separari, per c. 1. & 2. 30. q. 1.*

Quæris: ubi generaliter sit institutum, ut debeant separari? Respondet Glossa ibi verb. *Institutum, Respondet, inquam, 30. q. 1. c. 1. & 2.* Et verò propter quid, putas, tunc temporis debuisse separari? Sanè non propter aliam causam, quam cognationem spiritualem, contractam ex susceptione proprii filij, etiam ignoranter; sic enim incipit d. cap. 1. *Pervenit ad nos Diaconus vester, Sanctitatis vestra epistolam deferens, quòd quidam viri & mulieres, præterito Sabbatho Paschali die, præ magno populorum incurfu, nescientes proprios filios suscepissent ex lavacro sancto &c. Et infra. Beata memoria sanctissimi Patres, Iulius, Innocentius, & Celestinus cum Episcoporum plurimorum, & Sacerdotum consensu, in Ecclesia Apostolorum Principis prohibentes talia præscripserunt, & confirmaverunt, ut nullo modo se in conjugium reciperent*

*mulieres ac viri, quicumque aliquà ratione susceperent natos proprios, sed separant se, ne, suadente diabolo, tale vitium inoleat. Igitur non requiritur scientia ad contrahendam cognationem, saltem pro tunc non requirebatur.*

Et quàmvis hoc jus postea correctum sit quantum ad separationem, ut significatur d. cap. 2. ibi. *Quidam tamen humanius sentientes aliter statuerunt, ut refertur 30. q. 1. c. 4. 5. & 7.* scilicet neutrum ab uxore separandum; nunquid propterea sublatum fuit impedimentum cognationis spiritualis, ita ut, si mutuo se polluerent extra copulam, non peccarent peccato incestus?

Enimverò textus allegati solum concedunt redditionem & petitionem debiti; quia durissimum foret, si à copula deberent abstinere ac ab invicem separari; quòd autem abstinere ab alijs immunditijs (à quibus alioqui jure naturæ tenentur abstinere) ex speciali motivo, scilicet propter reverentiam debitam commatribus & compatribus, nulli durum videri debet, sed oppidò rationabile.

Et sanè si susceptio proprii filij, facta ex ignorantia, invalida est, ac proinde nullam parit cognationem spiritualem; quid opus erat, ut jure expresso concederetur tali casu petitio debiti?

Si respondeas: quia alioqui fuisset orta cognatio spiritualis, & per consequens petitio debiti facta illicita; sicuti quando affinitas supervenit Matrimonio contracto, redditur illicita petitio debiti, nisi dispensetur in illa petitione.

Contra 1. ex invalida susceptione non potest oriri cognatio. Secundò; nunquid quia dispensatur in illa petitione, ideò ablatum est impedimentum affinitatis, quoad alios actus inhonestos, alioqui ex natura sua illicitos, ita ut in eis non reperiat malitia incestus? Valde dubito, si reverà alij actus inhonesti, præter copulam ordinariam, habeant malitiam incestus, ut putat Card. Lugo de Sacram. Pœnit. disp. 16. sect. 6. n. 346. cujus sententia mihi magis probatur.

Ergò similiter in casu nostro, tametsi jure communi concessa sit petitio debiti illi, qui nescienter suscepit proprium filium, inde non clarè sequitur, impedimentum fore sublatum, nisi tantum quoad istum actum, quem alioquin non posset licitè exercere.

Multò minus sequitur, errorem cujuscumque personæ irritam reddere susceptionem, ut bene advertit Pontius lib. 7. cap. 39. n. 9. in fine, ibi: Unde etiam, si per errorem leveat filium Petri, existimans esse filium Joannis, reverà contrahit cognationem: error enim ille non impedit fidejussoris & patris spiritualis officium, quidquid Alij dicant; est enim error personæ in hoc casu circà accidentalialia.

Neque eadem ratio est de uxore, quæ per ignorantiam levat mariti filium. Tum, quia de eo est expressa juris decisio, ut dicam postea, ex quo totum id impedimentum pendet. Tum etiam, quia supervenit Matrimonio contracto, & ita non mirum, si ignorantia excuset à cognatione. Quare non probo in hoc sententiam Tho. Sanchij lib. 7. disp. 38. à. num. 7. Ita Basilus.

Non

369.  
*Eloc jus in die corre- dum est, quantum ad separatio- nem.*

*Manes cognatio spir.*

*Probatio.*

370.  
*Resp. Ad verjariorum.*

*Oppugnatio.*

*Lugo.*

371.  
*Quid Pontius sentiat de hac controversia.*



372. Ignorantia excusat à partiali cognatione.

Non mirum, inquam, si ignorantia excuset à cognatione, intellige partiali, id est, ab aliquo effectu, ut sic loquar, cognationis, puta privatione usus Matrimonij jam contracti; quia hoc durissimum esset. Interim cur non maneat obligatio instruendi; & casu quo prius Matrimonium foret invalidum, aut per Deum dissolveretur, cur Matrimonium de novo post contractum non esset irritum? Tu cogita.

Plura hic pertractanda essent, nimirum de numero Patrinoꝝ, susceptione per procuratorem & similia, nisi alibi sufficiuntur discussa & examinata forent, nempe Parte 1. hujus operis Disp. 2. Sect. 6. Conclus. 3. & sequentibus, item disp. 3. Sect. 3. Conclus. 6. Videantur ibi dicta, ne ea repetendo, sine aliquo fructu opus nimium exerceat. Progrediar itaque ad cognationem legalem, pro qua instituitur.

CONCLUSIO VII.

Cognatio Legalis impediens, ac dirimens Matrimonium, provenit ex perfecta adoptione, seu arrogatione; forte etiam ex imperfecta.

373. Sententia Scoti de cognatione legali.

DE cognatione legali sequentia verba lego apud Doctorem Subtilem 4. Dist. 42. q. un. n. 3. iuxta quod notandum, quod cognatio legalis impedit etiam Matrimonium, de qua habetur extra de cognatione legali capite unico: Si qua per adoptionem foror mihi esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt. Et Glossa super illo capite dicit, quod illud verum est, sive cognatio legalis sit per arrogationem, sive per adoptionem. Dicimus autem arrogari illum, qui sui juris est, & per arrogationem transit in nostram potestatem: & sit arrogatio auctoritate Principis; adoptio fit per quemlibet Magistratum: nec adoptatus transit in potestatem adoptantis, sed remanet in potestate sui patris: & tam adoptati, quam arrogati, dicuntur filij adoptivi, & inter fratres adoptivos & naturales impeditur Matrimonium, quamdiu durat adoptio. Ita Scotus.

374. Videtur tenere, ex imperfecta adoptione oriri cognationem, ex Hiquæo.

Ubi videtur approbare opinionem Glossæ, cum eam non improbet, neque oppositæ opinionis expressè meminerit. Undè Hiquæus in suo Commentario ad hunc locum n. 7. ait: Scotum cum citata Glossa tenere; etiam ex imperfecta adoptione oriri impedimentum cognationis legalis; quod iudubiè probabile est, imò magis commune, ut videre poteris apud Sanchezum lib. 7. disp. 63. n. 8.

Sed antequam eam opinionem probo vel improbo, placet paulò diffusius explicare naturam adoptionis, ejusque divisionem in perfectam & imperfectam: quippè cognatio legalis est quasi effectus aliquis adoptionis, ex eaque oritur; sicut affinitas ex copula.

Igitur lib. 1. ff. tit. 7. definitur adoptio: L. Bosco de Matrim. Pars II.

gis actio, quæ, qui mihi filiusfamilias non est, ad vicem filijfamilias redigitur. Ex qua definitione patet, adoptionem jure civili esse institutam, ad instar generationis cujusdam naturalis, ut sicuti per generationem naturalem, qui mihi filius familias non est, incipit esse verus seu naturalis filiusfamilias, ita per adoptionem, qui mihi filiusfamilias non est, incipiat esse filius adoptivus; sive ad instar, seu ad vicem filijfamilias naturalis.

Nam, ut dicit Jurisconsultus dict. tit. de Adoptionibus, l. 1. Filiosfamilias non solum natura, verum & Adoptiones faciunt. Quod adoptionis nomen est quidem generale, in duas autem species dividitur: quarum altera adoptio similiter dicitur, altera adrogatio. Adoptantur filijfamilias; adrogantur, qui sui juris sunt.

Ubi Glossa in expositione casus: Filijfamilias (inquit) fieri dupliciter contingit: naturali scilicet & adoptione. Porro adoptionis due sunt species: harum altera adoptio, altera adrogatio dicitur. Adoptantur imperio Magistratus, qui in patris naturalis potestate sunt: adrogantur, qui sui juris sunt, idq. Principis auctoritate, quorum etiam liberi in adrogantis potestatem transeunt. Tam spadones, & si generare non possint, adoptare tamen possunt, quod castratis non est permissum.

Hinc Gajus lib. 1. Instit. (& refertur l. 2. eod.) Generalis adoptio duobus modis fit: aut Principis auctoritate, aut Magistratus imperio. Principis auctoritate adoptamus eos, qui sui juris sunt: que species adoptionis dicitur adrogatio; Nam & is, qui adoptat, rogatur, id est, interrogatur, an velit eum, quem adopturus sit, justum sibi filium esse: & is, qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiat. Imperio Magistratus adoptamus eos, qui in potestate parentis sunt: sive primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius, filia: sive inferiorum, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis.

Illud utriusq. adoptionis commune est, quod & hi, qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt. Hoc verò proprium est ejus adoptionis, que per Principem fit, quod is, qui liberus in potestate habet, si se adrogandum dederit, non solum ipse potestati adrogatoris subicitur: sed & liberi ejus in ejusdem sunt potestate tamquam nepotes.

Hæc latius volui referre ex jure civili, quia in aliquo puncto videntur dissentire Theologi, quamvis, re benè consideratâ, non dissentiant. Ecce verba Doctoris Seraphici, quibus perstringit totum hoc impedimentum cognationis legalis, 4. dist. 42. a. 2. Primo sciendum, quod cognatio legalis ita describitur: Cognatio legalis est proximitas proveniens ex adoptione. Oritur autem triplex proximitas ex adoptione. Vna est quasi descendentiæ, qua attenditur inter adoptantem & filiam vel neptem adoptatam. Alia est quasi a latere, scilicet illa, que est inter filium naturalem, & filiam adoptivam, Tertia verò est quasi quadam affinitas inter adoptatum & uxorem adoptantis, vel adoptantem & uxorem adoptati. Hæc sunt species de quibus parùm dicitur in jure Canonum; Multùm verò in jure civili, ut infra videbimus.

Secundo (prosequitur D. Bonaventura) in-

Quid sit adoptio. Est institutum jure civili.

376. Dividitur in duas species.

Filijsfamilias duas duobus modis fit.

377. Generalis adoptio duobus modis fit: ex l. 2. ff. de Adopt.

Quid utriusque adoptionis sit commune, & quid proprium.

378. Doctrina D. Bonav. de hoc impedimento.



*Quia sit  
adoptare.*

telligendum est, quod ista cognatio, sicut patet per rationem suam, contrahitur per actum adoptandi. Adoptare autem, est extraneam personam in filium, vel filiam, vel nepotem, vel deinceps legitime assumere.

379.

*Qua in hic  
extranea  
persona, &  
qua legitima  
assumptio.*

Rogas : quæ sit extranea persona ? Respondet : quæ non est in potestate adoptantis, sive sit consanguinea, sive non. Legitima autem assumptio dicitur, quæ fit secundum formam legis. Hinc idem Doctor : Legitima, inquit, assumptio dicitur ; quia non omnis persona potest omnem adoptare. Nam adoptare non potest mulier, nisi ex rescripto Principis sibi concedatur in solatium filiorum. Iste enim actus est proprie virorum. Inst. de Adopt. ibi : *Fœmina quoque adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent, sed ex indulgentia Principis, ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt.* At hæc ratio non probat, nisi fœminam non posse adrogare. Quare l. 5. Cod. de Adopt. sic scriptum reperio : *Mulierem quidem, quæ nec suos filios habet in potestate, adrogare non posse certum est &c.*

380.

*Qui possunt  
adoptare.*

Sed pergamus in S. Bonavent. Item, inquit, non omnium (est adoptare) quia adoptare non potest minor 20. annis, nisi forte justa causa interveniat. Ille vero potest adoptare, qui paterfamilias est, & sui juris, & potest generare ; nam spado vel frigidus non potest adoptare. Quilibet autem potest adoptari, sive masculus sit sive fœmina, dummodo sit minoris ætatis patre adoptivo. (Inst. de Adopt. §. 5. Minorem natu majorem non posse adoptare placet. Adoptio enim naturam imitatur, & pro monstro est, ut major sit filius quam pater.)

*Quis dicatur  
arrogatus.*

Vnde sive sit minor sive major, sive habeat patrem sive non, adoptari potest, differenter tamen. Qui enim sui juris est, dicitur arrogatus, & transit in potestatem arrogantis ; qui autem est in potestate patris, non transit in potestatem adoptantis, & dicitur simpliciter adoptari. Primum debet fieri auctoritate Principis, secundum imperio Magistratus. Alia etiam differentia est, quia adoptans filio arrogato tenetur relinquere quartam partem bonorum, filio adoptivo nihil, si non vult.

*Intellige per  
testamentum.*

Intellige per testamentum, nam ob intestato etiam adoptivus est hæres necessarius. Inst. de Adopt. §. Sed hodie. in fine : *Licet ab intestato jura successionis ei à nobis tributa sint.*

381.

*Conditioes  
requisite in  
adoptante,  
ex Sanchez.  
Prima.*

Porro quæ hic Doctor Seraphicus tradit, eadem propè lego apud Sanchez sup. Disp. 63. n. 3. Multæ, inquit ille, conditiones desiderantur, ut alicui integrum sit alium adoptare. Prima, ut adoptans sit sui juris, & major 25. annis. Ratio est ; quia si non sit sui juris, & major 25. annis, bona sua administrare nequit.

*Secunda.*

Secunda est, ut sit vir, nam fœminæ adoptare nequeunt, nisi ex privilegio Principis ; Cum nec filios carnales habeant in potestate.

382.

*Tertia.*

Tertia, ut possit generare, vel si non possit, id non sit ex defectu naturali, sed ex casu accidentario. Quare frigidi adoptare non possunt, cò quòd sunt naturaliter impotentes, l. 2. ff. de A-

dopt. Et ratio est quia adoptio instituta est ad suppleendum liberorum defectum ; & idè illis solis conceditur, qui naturaliter generare possunt. At gladio castrati adoptare possunt : quia sunt impotentes ex accidenti.

Quarta, ut ita excedat ætate adoptatum, ut possit esse ejus pater naturalis ; imò decem & octo annis debet eum excedere. Arrogare vero nequit, qui quadraginta annos non nactus est. Hæc omnia habentur Inst. de Adopt. & tradit latè Sylvester verbo, *Adoptio*, q. 5.

Hinc fit Sacerdotem posse adeptare. Quia naturaliter non est impotens ad generationem. Sic Hostiensis. c. un. n. 4. de Cognat. legal. & ibi Abbas n. 4. Sylvester verb. *Adoptio*, q. 5.

Potest autem adoptari quilibet, sive masculus sive fœmina, dummodo sit præsens ; quippè absens nec adoptare, nec adoptari potest, etiam per procuratorem, l. 24. ff. de Adopt. Neque absens neque dissentiens adrogari potest. Et l. 25. eod. Neque adoptare, neque adrogare quis absens, nec per alium ejusmodi solemniter peragere potest. Hucusque Sanchez.

Sed indiget aliquâ explicatione tertia conditionis : Videtur enim contrarium statui l. 2. ff. de Adopt. sup. allegatâ, uti etiam Inst. eod. ubi generaliter decernitur, eos, qui generare non possunt (quales sunt spadones) adoptare posse ; castratos autem non posse. Hæc sunt verba juris §. 10. *Sed & illud utriusque adoptionis commune est, quod & ij, qui generare non possunt (quales sunt spadones) adoptare possunt ; castrati autem non possunt.* Nunquid aliud jus civile statuit, aliud D. Bonaventura, Sanchez, & alij Theologi clamant ? Minime. Sed intellectis terminis seu vocibus, plusquam meridianum erit, optimè eos convenire.

Et quidem in rigore grammaticali, ly *Spado*, idem significat, quod à natura castratus, quem constat naturaliter impotentem esse, idque in perpetuum, ad generandum, atque adeò non posse adoptare ; perinde de hujusmodi spadonibus nequeunt prædicta jura intelligi ; debet autem de iis intelligi D. Bonaventura, quando supra dicit : *spado vel frigidus non potest adoptare*, id est, naturaliter & in perpetuum impotens generare.

Porro in jure, l. 128. ff. de verb. signif. *Quid imspadonum generalis appellatio est. Quo nomine tam hi, qui naturâ spadones sunt, item iblibia, thlasia, sed & si quod aliud genus est, continetur.* Ergò etiam continentur castrati sive à natura, sive gladio. Et ita generaliter hoc nomen nequit intelligi Inst. de Adopt. §. 10. superius allegato ; nam distinguit expressè inter spadones, & castratos.

Quid ergò, inquis, intelligit per spadones, & quid per castratos. Respondet Zoëtus in suo Commentario ad hunc locum : *Adoptare licet homini sui juris, non impedito aut naturâ, quam adoptio imitatur, aut lege. Naturâ impeditur minor natu adoptare majorem ; quia pro monstro*

*Quarta.*

383.

*Quilibet  
potest adop-  
tari dum-  
modo sit  
præseni.*

*Tertia con-  
ditio videtur  
opposita*

*l. 2. ff. de  
Adopt. &  
Lustin. eod.  
§. 10.*

384.

*Quid sig-  
nificet ly  
Spado, in  
rigore gram-  
maticali.*

385.

*Quid sig-  
nificet in  
§. 10. In-  
stit. de A-  
dopt. ex Zoë-  
to.*

est



esset, filium patre esse majorem, ut habet hic textus §. 5.

Ubi præterea opus est, ut adoptans sit plena pubertate, id est, 18. annis major, eò quòd, licet ante quis generare possit, rariùs tamen id contingat; leges autem accommodentur iis, quæ sunt frequentiora, l. 3. & 4. ff. de Legib. Impedit & eos natura, qui generare non possunt, quibus scilicet generandi facultas est adempta in perpetuum, cujus generis sunt castrati, §. Sed & illud, eod.

Dico: *perpetuum*: nam quibus tantum est temporale vitium, non impediuntur, ut spadones, quatenus nomen *Spadonis*, propriè ac specialiter sumitur pro ijs, qui valitudine aliquà impediti, aut vitio corporali, liberis operam dare nequeunt, ex contortione meatuum, per quos semina ferri nequeunt, ut docent Medici. Quod vitium cum possit purgari, & redire generandi vis, non debent tales ab adrogandi licentia secludi. Hæc ille.

Itaque jura, quæ spadonibus concedunt potestatem adrogandi, intelligunt eos (secundum hunc Auctorem) qui temporali laborant impotentia generandi, unde & Gloss. d. l. 2. ff. de Adopt. Spadonibus, de quibus ibi est sermo, etiam potestatem Matrimonium contrahendi tribuit: *Spadones*, inquit, *possunt adoptare, Matrimonium contrahere, substituere posthumo, non autem castrati*. Id est, naturaliter frigidi, juxta Hostiensem de Cognat. legal. ibi: *Necessè, inquit, est, quod is, qui adoptat, sit pater familias, id est, sui juris, & talis qui generare possit; sed & qui non potest generare, adoptabit, dummodo tamen non naturaliter impediatur, sed per accidens. Castratus ergò, id est naturaliter frigidus, scilicet castè natus, non adoptabit. Spado autem, id est, qui cum gladio seu spata amisit fratres, adoptare potest. Hæc ille.*

Ex quibus omnibus patet, Theologos & Iurisperitos, quantum ad hoc punctum, optime inter se convenire, quamvis primà facie possent alicui videri dissentire. Atque hæc nobis, quæ Iurisperitorum sunt propria, rudi minervâ insinuasse sufficiat. Plura, qui desiderat, ipsos adeat & inveniet.

Nos progredimur ad ea, quæ Theologis magis propria sunt, inquirimus, inquam, an quælibet cognatio legalis sit impedimentum dirimens Matrimonium post contractum, & per consequens impediens Matrimonium contrahendum; atque adeò dissolvens sponsalia, ut supra dictum est de cognatione spirituali. Non quæro, utrum dissolvat Matrimonium antè contractum, quia negativa pars est extrà quæstionem, an autem impediatur petitionem debiti, dicam inferiùs.

Nunc autem ad principale quæstionem dico cum alijs Theologis communiter: quælibet vetera cognatio legalis, proveniens ex arrogatione impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum, quæ est prima pars nostræ Conclusionis.

Est autem triplex ejus species, ut supra <sup>388.</sup> audivimus ex D. Bonaventura. Prima est <sup>Prima ejus species ex §. 2. Instit. de Nupt.</sup> linea recta inter adoptantem & adoptatum ac adoptati descendentes. Hæc habetur Instit. de Nuptijs §. 2. ubi lego sequentia verba: *Ergò non omnes nobis uxores ducere licet: nam à quarundam nuptijs abstinendum est; inter eas enim personas, quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, contrahi nuptia non possunt: veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & usque in infinitum. Et si tales persona inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeò vera sunt, ut quamvis per adoptionem parentum, liberorumve loco sibi esse coeperint, non possint inter se Matrimonio jungi: in tantum, ut etiam dissolutà adoptione, idem juris maneat. Itaque eam, quæ tibi per adoptionem filia vel nepris esse coeperit, non poteris uxorem ducere, quamvis eam emancipaveris.*

Idemque statuitur l. 55. ff. de Ritu nupt. <sup>Et l. 55. ff. de Ritu nupt.</sup> *Quin etiam nefas existimatur, eam quoque uxorem ducere, quæ per adoptionem filia neprisve esse coeperit, in tantum, ut etsi per emancipationem adoptio dissoluta sit, idem juris maneat.*

Eodem modo loquitur jus Civile de secunda specie, quæ est lateralis, seu in linea transversa inter adoptatum & filios carnales adoptantis, quantum ad Matrimonium, quod contraheretur stante adoptione, secus adoptione solutà. <sup>389.</sup>

Habetur Instit. de Nuptijs §. 3. sequentis tenoris; <sup>Habetur §. 3. Instit. de Nupt.</sup> *Inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta. Sanè enim inter fratrem, sororemq; nuptia prohibita sunt, sive ab eodem patre, eademq; matre nati fuerint, sive ex altero eorum. Sed si qua per adoptionem soror tibi esse coeperit, quamdiu quidem durat adoptio, sanè inter te & eam nuptia consistere non possunt; cum verò per emancipationem adoptio sit dissoluta, poteris eam uxorem ducere. Sed & si tu emancipatus fueris, nihil est impedimento nuptijs.*

Item l. 17. ff. de Ritu Nupt. <sup>390.</sup> *Per adoptionem quæ sita fraternitas, eoque impedit nuptias, donec manet adoptio, ideò, eam, quam pater meus adoptavit & emancipavit, poteris uxorem ducere, æquè & si me emancipato, illam in potestatem retinuerit, poterimus jungi Matrimonio. Itaque volenti generum adoptare, suadetur, ut filiam emanciparet. Similiter suadetur ei, qui nurum velit adoptare, ut emancipet filiam. Amitam quoque & materteram, item magnam quoque amitam, & materteram magnam, prohibemur uxorem ducere, quamvis magna amita & matertera quarto gradu sint. Vtique autem amitam, & amitam magnam prohibemur uxorem ducere, etsi per adoptionem nobis conjunctæ sint.*

Sed & tertiam speciem, quæ est per modum cuiusdam legalis affinitatis, ad similitudinem affinitatis naturalis, quæ est inter adoptantem & uxorem adoptati, & e contra inter adoptatum & uxorem adoptantis, expressam habemus l. 14. <sup>Item l. 17. ff. de Rit. Nupt.</sup> <sup>Tertia species expressè dicitur eod. tit. l. 14.</sup>

386. Significat eum, qui temporali laborat impotentia.

Quis sit castratus juxta Hostiensem.

387. An quælibet cognatio legalis sit impedimentum dirimens.

Cognatio proveniens ex arrogatione dirimit.



ead. tit. hisce verbis: Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest, quia nocere locum habet. Item, si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quæ nurus loco est, nequidem post emancipationem filij ducere poterit, quia aliquando nurus ei fuit.

391.  
Prima species dirimitur de 2. & 3. aliqui dubitant. Ratio dubitandi de 2.

Cæterum has omnes & singulas species dirimere Matrimonium post contractum, non omnibus Iurisperitis placet; consentiunt equidem omnes, primam speciem habere hunc effectum; dubitant autem quidam de secunda & tertia specie. De secunda quidem, quod frustra esset separatio inter eos fratres, naturalem scilicet filium patris adoptantis, & filium adoptivum; cum statim possint Matrimonio copulari, soluta adoptione per emancipationem, vel alio modo, ut latius infra dicitur.

392.  
Respondet Sanchez.

sup. n. 23. non esse frustra id impedimentum, quia perpetuo dirimit ante emancipationem; & quamvis hæc facta, possit denuo Matrimonium iniri: at antea initum est perpetuo irritum, nisi postea ratificetur. Hæc ille.

Adde ego: impedimentum raptus non esse frustra, tamen statim possint Matrimonio copulari per separationem raptæ à rapto, & constitutionem ejus in loco tuto & libero. Sed & minor ætas dirimit Matrimonium pro eo tempore, quo durat.

393.  
Alter ratio dubitandi ex c. 1. 30. 1. 3.

Altera ratio dubitandi sumitur ex cap. 1. 30. q. 3. (quod est Nicol. Papæ ad Consulta Bulgar. c. 2.) ibi: *Est inter fratres & filios spirituales gratia & sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos non arbitramur posse fieri quolibet legale conjugium, quandoquidem nec inter eos, qui naturæ, & eos qui adoptione filij, veneranda Romana leges Matrimonia contrahi permittant. Igitur inferunt Adversarij, Canones permittunt talia Matrimonia; arg. cap. 5. de Præsumpt. ibi: Duo quippe ei illata fuerunt, unum negavit, alterum tacendo concessit.*

394.  
Explicatur d. cap. ex Sanchez.

Respondet Sanchez supra; non dicere textum, Secundum leges, quasi contrarium sit secundum Canones; sed ad denotandum, impedimentum hoc fuisse legibus inductum, quas ibi approbat, vocans eas venerandas. Ita hic Auctor. Sinè quæ utique approbatione non valerent; quandoquidem sola Ecclesia hodie statuat pro fidelibus impedimenta dirimentia.

Colligo hunc intellectum ex illis, quæ ibidem subdit Pontifex: *Si ergo inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius à carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per valesse sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit? Longè igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina potius, quam quem humana voluntas, ut filius patris mei, vel frater meus esset, elegit, prudentiusq. ab alterna corporis commissione fecerimus.*

Ubi Nicolaus videtur supponere adoptionem dirimere, à minori argumentatur ad majus, ostendens potiorum esse rationem constituendi impedimentum cognationis spiritualis, quam adoptionis.

Notat autem Gloss. hic verb. *Quandoquidem*, non esse bonam hanc rationem: quia leges prohibent, etiam Canones: *Quandoquidem enim* (inquit) *leges prohibent Matrimonium, nec tamen Canones, ut inter tutorem & pupillam, & inter Senatorem & libertam, ff. de Sponsal. l. Tutor. Et leges prohibent Acolythos uxores ducere: non tamen Canones, 15. q. 4. §. Cum autem.*

Sed nunquid Pontifex in d. textu sic argumentatur? Minime; sed, sicut dixi, ex eo, quod leges prohibeant Matrimonium inter filios adoptivos, utique justè ac rationabiliter; sed Ecclesiam justè & rationabiliter, imò rationabilius prohibuisse Matrimonium inter filios seu fratres spirituales.

Et simili modo argumentatur Zacharias Papa cap. 2. ead. causâ & q. dicens: *Cum ergo à propria consanguinitate jubemur abstinere, multo magis à spirituali nostri patris filia, omni excusatione aut argumento seposito, sub nimia restrictione nos cavere convenit &c.* Et tamen hodie licet Matrimonium cum filia spirituali nostri patris, tamen sit & maneat prohibitum cum filia carnali, vel adoptiva, quousque manet adoptio, ut ibidem dicitur cap. 6. *Per adoptionem quæstia fraternitas, eousque impedit nuptias, donec manet adoptio &c.* ut sup. l. 17. ff. de Ritu nupt.

Ubi manifestè approbatur à jure Canonico secunda species. Prout etiam cap. un. extra de Cognat. leg. *si qua per adoptionem mihi soror esse cæperit, quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt.* Ita Nicolaus ad Consulta. Bulgar.

*Consistere, inquam, non possunt;* quibus utique verbis Pontifex satis significat, maxime accedente communi interpretatione Ecclesiæ, & consuetudine ab omnibus recepta, nuptias ejusmodi non solum illicitas, sed etiam irritas esse seu dissolvendas, alioquin consistere possent seu permanere, ut patet, estò illicite fuissent celebratæ. Sic enim constituunt seu permanent nuptiæ celebratæ illicite cum voto simplici castitatis.

Sed ubi, interrogat aliquis, Ecclesia approbat primam & tertiam speciem? Respondet Sanchez sup. n. 17. Prima species approbatur in cap. *Ita diligere*, sive cap. 1. 30. q. 3. quod est Nicolai Papæ, ut supra vidimus. Quamvis autem (inquit Sanchez) tertia species affinitatis legalis non reperitur expressè approbata in jure Canonico: at cum rubrica juris canonici sit generalis, nimirum, *de cognatione legali*, & sit eadem ratio de hac specie, dicendum est, censeri subinde approbatam illam, sicut & reliquas. Adde consuetudine Ecclesiasticâ omnes tres illas species receptas esse, Pontificibus id scientibus. Hæc ille.

Sed, meo judicio, neque prima species expressè approbata in jure Canonico reperitur. Si quidem d. cap. 1. quod adducit Sanchez, manifestè loquitur de secunda specie. Inspicite Glossam in expositione casus. *Hæc capit, inquit, dividitur in tres partes. In prima dicitur, quod ita debemus diligere patrem spirituales, sicut carnalem.*

395.  
Quandoque leges prohibent Matr. & non Canones.

396.  
In d. cap. Papa argumentatur ab adoptione ad cognationem spirituales.

397.  
Secunda species approbatur cap. un. de Cogn. Leg.

Vbi approbatur 1. & 3. species Sanchez.

398.  
An prima species approbatur cap. 1. 30. q. 3.



In secunda parte dicitur, quod filij carnales non possunt contrahere cum filijs spiritualibus, cum sint fratres ad invicem. Nam cum filius adoptivus non possit contrahere cum filia naturali, quos adoptio fecit fratres, multo minus contrahere poterunt, quos divina gratia fratres conjunxit. In tertia parte dicitur, quod magis tenor diligere fratrem, vel sororem spiritua-lem, quam carnalem, & potius debet spiritualis frater appellari frater, quam carnalis. Haec tunc Glossa.

Porrò hanc expositionem legitimam esse, & conformem textui, facile quilibet cognoscat, qui voluerit dispicere verba textus supra recitata. Interim cum sit major connexio inter patrem adoptivum & filium adoptivum, quam inter filium naturalem & filium adoptivum, qui expressè approbat impedimentum cognationis legalis in linea transversa, majori jure censetur approbare idem impedimentum in linea recta; cum sit major ratio, hoc statuendi vel approbandi, quam illud.

Sed, amabo, quæ illa ratio? Convenientissime statutum est (inquit Sanchez sup. n. 16.) ut cognatio legalis dirimat subsequens Matrimonium. Quia ex ea oritur quædam reverentia debita inter sic cognatos & amicitia. Ut ergò ea reverentia servetur & dilatetur amplius amicitia, Matrimonio cum extraneis inito, cautum est, ut inter sic cognatos nequeat Matrimonium consistere. Addit cum D. Tho. 4. dist. 42. q. 2. a. 2. in corp. id quoque effectum esse, quia sic cognati debent habitare in eadem domo: oriretur autem maximum fornicandi periculum, Matrimonio non interdicto inter eos. Hæc ille.

Placeat etiam audire Doct. Seraphicum ead. dist. a. 2. in corp. Dicendum, quod cognatio legalis impedit Matrimonium. Et ratio hujus est statutum Ecclesia, qua legem confirmat & approbat. Si autem queritur, quare Ecclesia statuit? Dicit potest, quod ratione honestatis, quoniam isti affectus, scilicet paternus & maritalis circa eandem personam, sunt incompossibiles salva honestate; & quoniam talis cognatio ad effectum consanguinitatis perducit, si quis contraheret, jam in hoc honestati derogaret; & qui affuisset contrahere cum filia adoptiva, aut parum aut nihil cum naturali timeret contrahere, cum illam assumpserit ad pertractandam ut filiam naturalem: & sic patet, quare debeat impedire. Ita D. Bonav.

Cui si objicias: talis cognatio legalis nullo bono Matrimonij repugnat: sed omne, quod præstat impedimentum Matrimonio, ratione alicujus boni impedimentum præstat, ergò &c. Respondet: Quod impeditur bonum naturalis honestatis, propter quod conservandum principaliter est institutum Matrimonium.

Porrò, quod ex adoptione oriatur aliquod vinculum speciale, ita probat idem Doctor sup. q. 1. in corp. Hoc vinculum transsumptum est, & habet originem a cognatione carnali, sicut & cognatio spiritualis. Patris enim carnalis est filium generare, & filium educare: quoniam igitur per Sacramentum regenerationis est spiritualis generatio; hinc est, quod contrahitur spiritualis cognatio. Rursus quoniam in adoptione sit assumptio alicujus ad actum paternum, qui est fovere, educare, possessionem dimit-

tere; hinc est, quod ibi est affectus paternus & officium, & per hoc aliquod vinculum. Hoc autem a legibus statutum est, in solatium filiorum, quod est maximum inter cetera ipsis conjugatis, & sic patet quomodo cognatio legalis sit vinculum.

Vinculum, inquam, quod ex statuto Ecclesiæ impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum, proveniens utique ex adoptione perfecta, id est, arrogatione, juxta communem sententiam. Quinimò, secundum multos DD. tam Theologos, quam Jurisperitos, etiam ex adoptione imperfecta, ut videre poteris apud Sanchez sup. n. 8. qui pro ea sententia, quam vocat satis probabilem, citat Scotum supra; & quia Scoti discipulus sum, & ejus doctrinam propugno; hinc in Conclusionem dixi: Fortè etiam ex imperfecta. Quàmvis enim ipse, ut supra notavi, solum referat sententiam Glossæ; cum tamen eam non reprobet, sicut solet in his, quæ sibi displicent, implicite videtur ei subscribere.

Nec immeritò, cum, etiam juxta Adversarios, sit valde probabilis, ut statim dixi. Probatur autem primò: quia omnes textus hactenus producti, in quibus hoc impedimentum cognationis legalis statuitur, de adoptione indistinctè loquuntur; ubi autem jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, nisi ratio evidens cogat.

Secundò: quia licet sic imperfectè adoptatus, non transeat in adoptantis potestatem; acquiruntur tamen ei quædam jura ex adoptione, quæ per emancipationem dissolvuntur, l. penult. §. penult. Cod. de Adopt.

Hæc fundamenta vocat Sanchez sup. n. 9. (ubi adhæret contrariæ sententiæ, tamquam probabiliori) levissima, ut, inquit, ex eorum solutione constabit n. 11.

Rogas: ecquæ illa solutio? Ad primum dic, quàmvis textus non distinguant: at rationes adductæ cogunt eâ distinctione uti. Ad secundum dic; ea jura, quæ per adoptionem imperfectam acquiruntur, non esse causam irritationis Matrimonij, & ita nil conferre. Ita Sanchez.

Solutio profectò levissima. Nam in primis hoc queritur; an jura, quæ acquiruntur per adoptionem imperfectam, non sint causa irritationis Matrimonij; ac proinde probatum oportuit, non suppositum; vel si Sanchez probavit asserendo, ego negando reprobavi.

Sed & positivè probo esse causam: quippè unum ex his juribus est, quod adoptatus succedere possit adoptanti ut hæres ab intestato, ut supra ostendi, instar filij naturalis, ex quo oritur quædam conjunctio inter illos similis naturali, atque ex ea conjunctio oritur quædam reverentia debita inter sic conjunctos & amicitia. Hæc autem reverentia, ut supra vidimus ex Sanchio, est prima causa, propter quam Ecclesia irritavit Matrimonium.

Dices; hæc non est sola ratio, sed insuper periculum maximum fornicationis. Cognatio hæc (inquit Sanchez sup. n. 9.) introducta est à ju-

401.  
An hoc impedimentum oriatur etiam ex imperfecta ad-  
optione.

Sanchez.  
Scotus.

402.  
Sententia affirmans probatur.

Secundò

Solutio Sanchez.

403.  
Impugnatur.

Secundò

404.  
Primum fundamentum opposi-

Videtur quod sic, saltem implicite.

399.  
Qua sit ratio hujus impedimenti, ex Sanchez.

Item ex D. Tho.

Et Doct. Seraph.

400.  
Obiectio.

Solvitur.

Probat ex D. Bonav. quod ex adoptione oriatur vinculum speciale



re sententia, re positivo ad impediendam fornicationem, quæ ex Sanchez. facile esse potest inter personas in eadem domo commorantes. Sed per adoptionem imperfectam non traducitur adoptatus in domum, nec in adoptantis potestatem: ergo ea non obstat Matrimonio. Ita Sanchez. Estque primum fundamentum suæ sententiæ.

*Destruatur.* Sed facilem habet solutionem. In primis ex nullo jure sive Civili sive Canonico constat, hoc impedimentum inductum fuisse ad impediendam fornicationem. Deinde, hæc non fuit sola ratio, etiam secundum Sanchez; & quamvis Doct. Angel. non aliam adducat, equidem nullo verbo indicat, solam adoptionem perfectam dirimere Matrimonium.

405. *Distinguit equidem inter adoptionem perfectam & imperfectam sup. a. 1. ad primum: Dicendum, quod filiatio adoptionis est quadam imitatio filiationis naturalis, & ideo duplex est adoptionis species. Vna, qua perfecte imitatur naturalem filiationem, & hæc vocatur adrogatio, per quam reducitur adoptatus in potestatem adoptantis, & sic adoptatus succedit patri adoptanti ex intestato, nec potest eam pater sine culpa privare quartâ parte hereditatis; sic autem adoptari non potest, nisi ille, qui sui juris est, qui scilicet, postquam adoptatur, non habet potestatem, aut si habet, est emancipatus, & hæc adoptatio non fit nisi auctoritate Principis.*

*Alia est adoptatio, qua imitatur naturalem filiationem imperfecte, qua vocatur simplex adoptio, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis: unde magis est dispositio quadam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecta, & secundum hanc potest adoptari, etiam ille, qui non est sui juris, & sine auctoritate Principis, ex auctoritate Magistratus; & sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis suis in testamento dimittere, nisi velit. Hucusque Doct. Angel. Ubi videtur negare imperfecte adoptato jus successionis ab intestato, quod tamen hodie ipsi competit.*

406. *Quidquid sit de hoc, nota interim, quod ar. 2. ubi quærit utrum ex adoptione contrahatur aliquod vinculum impediens Matrimonium, expresse non meminerit hujus distinctionis: sed absolute respondeat: Dicendum, quod lex Divina illas personas præcipue à Matrimonio excludit, quas necesse erat cohabitare, ne, ut Rabbi Moyses dicit, si ad eas liceret carnalis copula, facilis pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam Matrimonium est ordinatum: & quia filius adoptatus (non dicit, arrogatus) versatur in domo patris adoptantis (non dicit, arrogantis) sicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum est inter tales Matrimonium contrahi, & talis prohibitio est per Ecclesiam approbata, & inde habetur, quod legalis cognatio Matrimonium impediatur.*

*Ubi videtur supponere, omnem filium adoptatum versari in domo patris adoptantis. Unde Hiquæus in suo Comment. n. 7. probat sententiam Scoti: Quia, inquit, filius adoptivus habitat in domo adoptantis, sicut filius naturalis: congruum ergo erat, inducere impedimentum hoc respectu adoptati, sicut & arrogati. Ita hic*

*An omnis filius adoptatus versetur in domo patris adoptantis.*

*Hiquæus.*

Auctor. Cui tantam fidem possumus adhibere, quantam Sanchio, qui dicit, filium adoptivum non habitare in domo adoptantis.

Et sanè vellem videre textum aliquem juris, sive Civilis, sive Canonici, in quo vel leviter insinuatur, illam cohabitationem esse causam hujus impedimenti. Imò non esse, colligo ex d. c. 1. 30. q. 3. ubi Pontifex argumentatur ab impedimento cognationis legalis, ad impedimento cognationis spiritualis, tamquam à minori ad majus, ut supra ostendimus; quod argumentum planè corrumpit, si sola cohabitatio est causa impedimenti cognationis legalis; quoniam illa cohabitatio non habet locum in cognatione spirituali, cum baptizans non solet cohabitare, ut nec patrini, baptizato aut parentibus baptizati.

Deinde, quæro: servi & ancillæ ejusdem domini nonne habitant in eadem domo? An propterea leges civiles aut Ecclesiasticæ impediunt eorum Matrimonium ad vitandum periculum fornicationis? Clarum est quòd non. Igitur non est verisimile, propter solum illud periculum, Leges aut Canones dirimere Matrimonium inter cognatos legales.

Et dato, quòd ad illud periculum respexissent, certum videtur, quòd tantum fuerit motivum secundarium; & alioqui reverentiam, quæ oritur ex adoptione inter adoptantem & adoptatum, esse causam sufficientem. Et quia illa manet, etiam adoptione seu arrogatione, & per consequens cohabitatione dissolutâ, adèd adhuc manet impedimentum inter adoptantem & adoptatum, ut videbimus Conclusionem sequenti.

Vides nunc benevole Lector, quàm sint levissimæ solutiones Sanchij, seu responsiones ad fundamenta sententiæ Scoti, & quàm levissimum primum fundamentum sententiæ Sanchij.

Sed nec secundum fundamentum majoris ponderis est. Cum Matrimonium (inquit Sanchez supra) sit res valde favorabilis, jura illud prohibentia potius debent restringi, vel saltem coartari ad propriam & perfectam verborum significationem: at simplex adoptio, cum sit imperfecta, non dicitur absolute talis; imò juxta D. Tho. sup. a. 1. ad primum, est potius dicenda dispositio quadam ad perfectam adoptionem. Hæc ille.

Respondeo: adoptio imperfecta non est dispositio ad perfectam: siquidem dispositio debet præcedere formam, aut saltem concomitari formam, ad quam disponit: jam autem nulla omnino est necessitas, ut adoptio imperfecta præcedat arrogationem; sed immediate potest quis arrogari, sicut potest adoptari imperfecte, dummodo habeat alias conditiones necessarias. Et sic etiam potest quis imperfecte adoptari, sine aliquo ordine aut respectu ad perfectam adoptionem.

Igitur adoptio imperfecta est absolute adoptio; sicut brutum est absolute animal, licet imperfectius homine: & sicut puer est absolute homo, tametsi imperfectior, quàm vir.

Quamquam ergo Matrimonium sit res valde favorabilis, & ideo jura, illud prohibentia, restringi

407. *An illa cohabitatio sit causa hujus impedimenti. Quid non, colligitur ex c. 1. 30. q. 3.*

408. *Periculum fornicationis, ad summum sui motivum secundarium.*

409. *Secundum fundamentum sententiæ Scoti.*

410. *Adoptio imperfecta non est dispositio ad perfectam.*

410. *Est absolute adoptio.*



stringi vel saltem coarctari debeant; semper tamen intrā proprietatem verborum, nisi ad evitandum absurdum. Quare cum adoptio imperfecta sit propriè adoptio, & simpliciter in jure vocetur adoptio; atque dum jura volunt intelligi solam adoptionem perfectam, utantur proprio verbo, scilicet arrogationis, quid ni dum statuunt adoptionem esse impedimentum dirimens, intelligi debeant de omni propria adoptione?

411. Ita insinuat Scotus supra referens sententiam Glossæ; imò satis expressè & manifestè eam docet, dum ait: *Tam adoptati, quam arrogati dicuntur filij adoptivi*. Ubi, ut vides, distinguit inter adoptatum & arrogatum, & tamen immediatè subdit: *Et inter fratres adoptivos & naturales impeditur Matrimonium*. Quomodo clariùs potuisset illam sententiam exprimere? A quo non cogunt nos recedere argumenta Sanchez pro sententia opposita, & idèò rursùm dicimus. Fortè etiam ex imperfecta adoptione provenire hoc impedimentum.

Quidam existimant ex eo impedimentum dirimens, sed tantum prohibens.

Cæterum quidam DD. apud Sanchez sup. n. 10. quàmvis existimant cum hoc Auctore, non oriri impedimentum dirimens ex imperfecta adoptione; admittunt tamen impedimentum merè prohibens, eò quòd sit dispositio ad perfectam adoptionem; sicut catechismus est dispositio ad Baptismum. Sicut ergò per Baptismi catechismus contrahitur quædam cognatio spiritualis imperfecta, quæ solum impedit Matrimonium; ita per adoptionem imperfectam contrahetur cognatio legalis imperfecta, quæ solum impedit subsequens Matrimonium.

412. Sed hæc doctrina displicet Sanchio: Quia, inquit, in Catechismo est expressus textus, id decidens; non autem in adoptione imperfecta: nec potest ex rationis similitudine induci impedimentum Matrimonij. Aliàs dicendum esset, ex solo exorcismo oriri, eò quòd sit ad Baptismum dispositio. Hæc ille. Et idèò existimat, nullum subesse impedimentum: sed posse licitè contrahi Matrimonium, ubi sola est imperfecta adoptio. Maxime cum etiam Catechismus hodie non amplius obliget, ut suo loco ostendimus.

Superveniens non impedit petitionem debitam.

Sin autem licitè possit contrahi Matrimonium, multò magis licet petere & reddere debitum, dum imperfecta adoptio supervenit Matrimonio jam contracto. Enimverò tametsi superveniret arrogatio, adhuc existimat Sanchez sup. n. 19. eam non impedire debiti petitionem; cum nullus textus expressus inveniatur, qui eam debiti petitionem in eo casu interdicat.

413. Sed contrà facit; quod docet Sylvester verb. *Matrimonium*, 8. q. 7. dict. 2. Regulariter omne impedimentum, quod facit Matrimonium esse nullum simpliciter, si illud præcedat, facit etiam illud esse nullum secundum quid ex parte ejus, qui est in causa, si illud sequatur, in quantum impedit exactiorem. Loquitur Sylvester de cognatione spirituali, superveniente Matrimonio contracto, quam putat impedire petitionem debiti, si scienter & sine necessitate contrahatur, quod an verum sit, alibi disputabimus, ibi de usu *Matrimonij*.

Bosco de Matrim. Pars II.

monij, & ibidem de legali cognatio erit sermo.

Impresentiarium pro fine hujus Conclusio-  
nis tantum addo, quod universi fatentur, & D. Bonaventura supra manifestè asseruit; scilicet, hoc impedimentum solo statuto Ecclesiæ esse introductum; atque adèò si apud infideles hæc adoptio fieret, & eà non obstante iniretur Matrimonium inter adoptantem & filiam adoptatam, antè susceptum Baptismum, valeret utique, nisi speciali eorum lege id Matrimonium irritaretur, aut forent subjecti legibus Cæsareis.

Ratio pervia est: quia antè Baptismum non subduntur legibus Ecclesiæ, secus post Baptismum susceptum: & leges Cæsareæ quàmvis pro fidelibus nequeant constituere impedimenta dirimentia; nam Ecclesia respectu eorum, ut a libi dictum est, illam potestatem sibi reservavit; equidem sicut infideles sibi ipsi possunt statuere talia impedimenta, sic pariter Princeps fidelis pro infidelibus sibi subjectis, in quibus Matrimonium tantum est contractus civilis, qui subest dispositioni Principum fidelium, sicut & alij contractus civiles.

Si autem à me quæritur: Utrum hoc impedimentum transeat in alteram personam, & in quam? Responsio erit.

## CONCLUSIO VIII.

Cognatio legalis est in adoptante ad uxorem & filios adoptati, qui sunt in sua potestate. Similiter in adoptato ad uxorem adoptantis & proles, quæ sunt in sua potestate: sed diversimodè; nam proles potest ducere adoptione solutâ, uxorem non sic. Valide contrahunt, filij adoptivi ejusdem adoptantis.

Hæc Conclusio, exceptâ ultimâ parte, est omnino certa & ab omnibus admissa, tamquam sufficienter expressa in jure civili ab Ecclesia approbato, ut videre poteris Conclus. præcedenti. Hic tantum addemus rationem diversitatis harum prohibitionum, putâ, quare una in perpetuum, alia verò solum ad tempus duret.

Itaque nemo dubitat cognationem legalem in prima specie, scilicet inter adoptantem & adoptatum in perpetuum dirimere, id est, etiam solutâ adoptione; similiter in tertia specie inter adoptantem & uxorem adoptati, & inter adoptatum & uxorem adoptantis: at verò in secunda specie, putâ inter adoptatum, & filios adoptantis solum ad tempus dirimere, quousque scilicet adoptio legitime fuerit soluta.

Dico, *Legitime*, id est, servatâ solemnitate à legibus præscriptâ; quia sicut adoptio sine auctoritate Principis, aut Magistratûs, alijsque solemnitatibus juris servatis, contrahi nequit, ita nec dissolvi; quoniam *Omnis res per quascumque causas*



causas nascitur, per eandem dissolvitur, cap. 1. de Reg. juris. Unde non servata forma in dissolutione, durat impedimentum.

416. *Sex modis solvitur adoptio, ex Sanchez.* Quæ sit autem hæc forma, non pertinet ad præsentem tractatum. Breviter dico ex Sanchio sup. n. 4. Sex modis solvitur adoptio, nempe naturali morte adoptantis, morte ejus civili, ob nuptias incestuosas, ob dignitatem, ut Episcopalem, per sententiam, per mancipationem.

Facta itaque legitimâ dissolutione adoptionis, adoptatus potest contrahere cum filia naturali adoptantis, secus cum uxore. Sed quæ ratio diversitatis? Constitutionem diversam juris quis audeat negare? At quæ ratio tam disparis constitutionis?

*Quis hic ratio divor- sa constitu- tionis juris, ex eod.* Quia (inquit Sanchez sup. n. 24.) prima & tertia prohibitio est propter reverentiam, quam debet exhibere adoptatus cum sua uxore adoptanti, & uxori ejus; & cum hæc sit perpetua, similiter est perpetua utraq; prohibitio illa. Secunda verò est ob interpretativam filiationem ex adoptione provenientem, & ideò eâ durante durat, & cessante cessat. Hæc ille.

417. *Oppugna- tur.* Sed dicit aliquis: ex quo constat; quòd potius prima & tertia prohibitio sit propter reverentiam, quam secunda? Nonne ipsè Sanchez ibidem n. 16. generaliter asserit, statutum esse, ut cognatio legalis dirimat subsequens Matrimonium, quia ex eo oritur quædam conjunctio similis naturali, ex qua oritur quædam reverentia debita inter sic cognatos & amicitia?

Planè sic docet, ut Concluf. præced. audivimus. Et quæ est ista conjunctio similis naturali, nisi interpretativa filiatio? Ex ipsâ ergò oritur quædam reverentia debita, tum patri & matri interpretativis, tum etiam interpretativis fratribus. Cur ergò cessante hæc interpretativâ filiatione per solutionem adoptionis, potius cessat prohibitio respectu fratris, quam patris aut matris. An fortè, quia solutâ adoptione, cesset cohabitatio respectu fratris?

418. *Alia ratio ex D. Tho.* Hanc rationem assignat D. Thomas sup. ar. 3. ad secundum: *Cognatio, inquit, legalis impedit Matrimonium propter cohabitationem, & ideò quando solvitur necessitas cohabitationis, non est inconveniens, si prædictum vinculum non maneat: sicut quando fuerit extrâ potestatem ejusdem patris.*

*Examina- tur.* Ast nunquid etiam solvitur necessitas cohabitationis respectu patris? Procul dubio; & ideò addit D. Aug. *Sed pater adoptans & uxor ejus semper quandam auctoritatem retinent super filium adoptatum, & uxorem ejus, & propter hoc vinculum manet inter eos.*

Addit omninò, inquit aliquis; sed ex quo oritur illa auctoritas? Nonne ex adoptione? Quid ni ergò solutâ adoptione, & ipsâ auctoritas pæreat; sicut perit fraternitas, quæ oritur ex adoptione, hæc solutâ?

419. *Quid sentiat Doct. Seraph.* Audite Doctorem Seraphicum, de eadem difficultate differentem, sup. q. 3. in corp. *Dicendum, quòd vinculum adoptionis transit in alterius personam dupliciter, scilicet per carnis commixtionem, & generationem; sed per carnis commixtionem transit ad semper, per generationem verò ad tempus. Et*

ratio hujus est; quia talis adoptio respicit bona temporalia, & educationem paternam: & quoniam vir & uxor conjunguntur ad semper; & omnia quæ habent, pro indiviso habent, ideò contrahitur vinculum sempiternum ad uxorem. Sed filij naturales nec semper cohabitant, nec semper cum parentibus habent bona indivisa; imò cum emancipantur, patrem & matrem relinquunt, & hinc est, quòd non maneat vinculum.

Non maneat, respondet quispiam; quare manet vinculum, quando adoptatus relinquit adoptantem & uxorem ejus, solutâ adoptione, & amplius non est hæres necessarius, five ex testamento, five ab intestato? Hæc dicta sint inquisitionis gratiâ.

Interim voluntas Legislatoris adest, cui non licet contradicere, nisi constet, eam esse irrationabilem. Iam autem potuit rationabiliter Ecclesia velle, ut potius una cognatio legalis tolleretur per solutionem adoptionis, quam alia; quia sicut arctius vinculum est paternitas & filiatio naturalis, quam fraternitas naturalis; ita etiam arctius vinculum esse debet paternitas & filiatio legalis seu adoptiva, quam sola fraternitas legalis seu adoptiva; quid ergò mirum, si unum vinculum solvatur, solutâ adoptione, & non aliud, accedente voluntate Legislatoris?

420. *Potuit Ec- clesia ratio- nabiliter unum velle, & non aliud.* Si autem à me quærat, in quos filios transeat hoc impedimentum? Respondeo citius; in filios, qui sunt in potestate adoptantis, quando adoptat, & filios, qui sunt in potestate adoptati, quando adoptatur. Ita loquitur nostra Conclufio, quæ, ut dixi, certa est. Dubitatur autem, an ad solos illos filios extendatur: v. g. an adoptatus possit contrahere Matrimonium cum filio illegitimo adoptantis, utpotè qui non est in potestate patris, vel cum filio jam emancipato, quando fit adoptio, aut qui post adoptionem nascitur in utero? Et similiter dubitari potest, an adoptans possit contrahere cum filio illegitimo adoptati, aut tempore adoptionis emancipato, aut postmodum nato in utero?

421. *In quos filios transeat hoc impedi- mentum.* Posse contrahere docet Sanchez cum alijs quos citat sup. n. 34. dicens: Non poterit adoptans contrahere Matrimonium cum filijs suis adoptivis, neque cum filijs aut nepotibus ejus filij, alijsque ejus descendentes, qui in ejus filij, dum fuit adoptatus, potestate constituti erant: at poterit utique contrahere cum filijs, vel quibuscumque descendentes filij adoptivi, qui extrâ ejus potestatem erant tempore adoptionis.

422. *Probatio ex l. 15. ff. de Adopt.* Et ratio est: quia adoptatâ aliquâ personâ, censentur adoptati filij, & descendentes omnes solùm, qui in adoptati potestate erant tempore adoptionis; ut expresse deciditur l. 15. in principio ff. de Adopt. *Si pater familias adoptatus sit, omnia quæ ejus fuerunt & acquiri possunt, tacito jure ad eum transeunt, qui adoptavit: hoc amplius liberi ejus, qui in potestate sunt, cum sequuntur. Sed & hi qui postliminio redeunt, vel qui in utero fuerunt cum adrogaretur, simili modo in potestatem adrogatoris rediguntur.*

Cum ergò illi descendentes in quovis gradu,



du, qui tunc erant sub adoptati potestate, sint etiam verè adoptati, jure optimo cum illis interdicitur Matrimonium. Si autem erant extrà adoptati potestatem, cum non censeantur adoptati, nullà ratione prohibetur Matrimonium adoptantis cum illis: utpote inter quos nulla cognatio legalis intercedit. Hactenus Sanchez.

423. *Videtur esse sententia D. Tho.* Atque hujus sententiæ videtur esse D. Thomas sup. a. 3. ad 4. ibi. *Oportet, quòd quidquid est in potestate filij, transeat in potestatem patris adoptantis: unde adoptato patre, adoptantur filij, & nepotes, qui sunt in potestate adoptati.*

Quando ergò in corp. dicit: *Prima* (cognatio legalis) *quasi descendentiū, quæ contrahitur inter patrem adoptantem & filium adoptatum, & filium filij adoptivi & nepotem, & sic deinceps;* id intelligendum est de filijs, & nepotibus, qui sunt in potestate adoptati, quando fit adoptatio.

424. *Explicatur textus Inst. de Nupt. §. 2.* Et hæc adeò vera sunt, ut quavis per adoptionem parentum, liberorumve loco sibi esse coperint, non possint inter se Matrimonium jungi. Ex quibus verbis aliqui deducunt, Matrimonium prohiberi inter adoptantem & adoptatum, ejusque descendentes usque in infinitum; nam postquam textus decidit in linea consanguinitatis ascendentiū & descendentiū prohiberi Matrimonium in infinitum, immediatè subjungit dicta verba.

Respondetur: ea verba intelligenda esse, juxta subjectam materiam, porò per adoptionem, de qua tractant, nemo incipit esse loco filij, nisi ipse, qui in filium adoptatur, & qui in potestate ejus est: at verò per generationem naturalem accipit quis locum parentis respectu omnium eorum, qui naturaliter generantur à filio, & filijs filij usque in infinitum. Consanguinitas itaque vinculum quoddam naturale est; cognatio autem legalis vinculum solum civile, & quàmvis sit aliqua inter hæc vincula similitudo, non tamen omnimoda paritas.

*Non est omnimoda paritas inter vinculum Consang. & cognationis legalis.*

Unde Sanchez sup. n. 32. negat hanc sequelam: consanguinitas restricta est ad quartum gradum; ergò etiam cognatio legalis. Tum quia (inquit) in linea recta ascendentiū & descendentiū non modica est difficultas, utrum restricta sit consanguinitas usque ad quartum gradum. Tum etiam, quia cap. *Non debet*, de Consang. in ea restrictione solius meminit consanguinitatis, & affinitatis. Non ergò extendenda est ea restrictio ad cognationem legalem; eo vel maximè, quòd diversissima militet ratio: Cum enim lex respiciat ea, quæ communiter accidunt, l. *Nam ad ea*, ff. de Legibus: atque impedimenta consanguinitatis, & affinitatis sint frequentissima, oportuit ea restringi. At impedimentum cognationis legalis est rarissimum, & ideo nulla est ratio restringendi hoc impedimentum, nec ut lex illa restringens extendatur ad hoc.

*Confirmatur.*

Et confirmatur: quia in restrictione graduum consanguinitatis & affinitatis occursum est periculis, quæ ex impedimentorum multiplicitate oriuntur experientia ipsa docuit, ut constat ex processu

*Bosco de Matrim. Pars II.*

mijs d. cap. *Non debet*, & Trid. Sess. 24. de Matr. c. 2. At ex impedimento cognationis legalis, utpote quod rarissimum est, non potuit docere experientia, periculum aliquod suboriri. Non ergò ea restrictio ad hoc impedimentum extenditur. Hucusque Sanchez, contra DD. qui asserunt eam restrictionem.

Et ibidem n. 33. contra Henriquez lib. 12. de Matri. c. 12. n. 3. negat restrictionem ad 2. gradum, quam ipse asserbat, exemplo affinitatis, ortæ ex fornicatione, quam Trid. sup. cap. 4. restringit ad secundum gradum; eò quòd utrumque impedimentum sit merè humanum, & sit quoddam propinquitatis genus: at cognatio legalis sit debilior.

426. *Negat Sanchez etiam restrictionem ad 2. gradum contra Henriquez.*

Sed hoc (inquit Sanchez) nullatenus placet, propter rationes numero præcedenti adductas. Et quia nullam video similitudinem aut rationis paritatem, ut, restricta illà affinitate, censeatur quoque restricta cognatio legalis. Hæc ille.

Quæ cum ita sint, liquet profectò, quòd non semper valeat argumentum à consanguinitate, ad cognationem legalem; atque adeò consanguinitas in linea recta, tametsi extenderetur usque in infinitum, prout extendi docuimus suo loco cum Scoto & alijs; equidem non valet hæc consequentia; ergò etiam cognatio legalis in linea recta extenditur usque in infinitum.

427. *Non valet semper arg. à consang. ad cognat. legalem.*

Veluti etiam non rectè sequitur: filius illegitimus nequit contrahere cum consanguinea patris; ergò nec cum filijs adoptivis. Quia (inquit Sanchez sup.) illegitimus est conjunctus vinculo naturalis consanguinitatis cum patre, & sic cum ejus consanguineis: at cum filijs adoptivis nullum est vinculum naturale, sed solum civile, & cum hoc solum duret inter fratres, quamdiu durat patria potestas, non contrahitur inter illos, qui in patriam potestatem minimè transcunt. Sic ille. Et nos cum illo. Jam autem illegitimus minimè transit in patriam potestatem; juxta illud Instit. de Nupt. §. ult. *Aliquando autem evenit, ut liberi, qui statim ut nati sunt, in potestate parentum non sunt, postea redigantur in potestatem patris: qualis est is, qui dum naturalis (id est, illegitimus) fuerat, postea civia datus potestati patris subicitur.*

*Filius illegitimus adoptivis potest contrahere cum filijs adoptivis.*

*§. ult. Inst. de Nupt.*

Dico igitur cum Sanchio sup. illegitimum, quamdiu non est subiectus potestati patris, posse contrahere Matrimonium cum filio adoptivo, quidquid alij in contrarium sentiant.

Nec obstat cap. *Ita diligere*, 30. q. 3. ibi. *Quandoquidem nec inter eos, qui naturà, & eos, qui adoptione filij venerande Romane leges Matrimonia contrahi permittunt.* Quia (inquit Sanchez sup.) nomine filij naturalis, intelligit textus carnalem; ut distinguitur contra filium spirituale: & quàmvis filius illegitimus sit verè carnalis; at ratio cogit nos, ut intelligamus eum textum de filio carnali legitimo.

428. *Solvitur obiectio de sumptibus ex c. 1. 30. q. 3.*

Sed quæ hæc ratio? Quia cum cognatio orta inter filios legitimos & adoptivos cesset, soluta patriâ potestate; à fortiori non contrahetur, ubi carnalis filius est talis, ut non transeat in patriam potestatem, neque ei acquirantur quædam jura, cum.



quæ solvuntur per emancipationem.

Quod addo : quia per simplicem adoptionem, adoptatus non transit in potestatem adoptantis ; & tamen probabile est, quod ex tali adoptione oriatur impedimentum, ut supra ostendimus; quia saltem per ea acquiruntur quædam jura, quæ dissolvuntur per emancipationem. Itaque nihil est quod cogit ponere impedimentum inter illegitimum & adoptivum.

429. *Est finis in Gloss. d. 9. 3. caus. 10.*

Atque hujus sententiæ est Gloss. dicta q. 3. caus. 30. verb. Quod autem; ibi : Item potest dici, quod filius, qui adoptatur, non dico, arrogatur, possit copulari filia naturali, cum adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, ut Instit. de Adopt. §. 2. Item potest dici, quod filius illegitimus potest copulari filia adoptivæ, quia illegitimus non est in potestate patris, ut Instit. de nuptijs §. ult. Licet illegitimus non possit copulari filia spiritali. Alij dicunt, quod nec arrogatus, nec adoptatus potest copulari naturalibus : quia licet adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, acquiruntur tamen ei quædam jura ex adoptione, quæ dissolvuntur per emancipationem, ut Cod. de Adopt. l. penult. §. penult.

*Et Gloss. d. 9. 3. de Cognat. legali.*

Eisdem ferè verbis utitur Gloss. cap. un. de Cognat. legali verb. Quamdiu, ibi : Item potest dici, quod filius adoptatus possit copulari filia adoptantis, cum adoptatus non transeat in potestatem adoptantis. Sic etiam potest dici, quod filius illegitimus potest copulari filia adoptivæ, quia illegitimus non est in potestate patris ... Alij dicunt, quod adoptatus non potest copulari filia adoptantis, quia licet adoptatus &c. ut sup. Et hoc idem videtur per decretalem istam, quæ indistinctè loquitur de adoptione, non distinguendo inter arrogatum, & adoptatum. Et hoc impedimentum desinit per emancipationem alterutrius. ff. de Adopt. In omni, ff. de Ritu nupt. Per adoptionem. Sed de hoc casu satis.

430. *An filij adoptivi possint contrahere inter se.*

Alium ibidem proponit Glossa verbis præallegatis immediatè subdens: Sed nunquid filij adoptivi possunt contrahere inter se? Dicit potest, quod sic; quia non invenitur prohibitum. Et ecce pervenimus ad postremam partem nostræ Conclusionis, quæ consonat huic Glossæ, contra aliquos, quos citat Sanchez sup. n. 28. ubi cum Alijs tenet & ipse sententiam Glossæ.

*Probatur quod sic, ex Sanchez.*

Probat autem eam eadem ratione; nimirum, quia nullo jure est cognatio inter hos statuta. Et cap. un. de Cognat. legali, quod pro contraria parte citatur : Si qua per adoptionem mihi soror esse coeperit &c. loquitur de vera filia patris adoptantis, quæ incipit esse soror adoptiva filij adoptivi sui legitimi patris. Nec hæc impedimenta ex sola rationis similitudine inducenda sunt.

431. *Confirmatur.*

Adde : inter filios spirituales ejusdem patris spiritalis, qui magis conjuncti sunt inter se quam legales, posse consistere Matrimonium : ergo à fortiori inter legales. Hæc ille.

*Oppugnatur confirmatio & arguitur pro opposita sententia.*

Sed quæro ego : unde constat, filios spirituales ejusdem patris spiritalis esse magis conjunctos? Certè homines ab eodem Parocho baptizati, nec nomine, nec re ostendunt, se inde agnoscere aliquam specialem inter se conjunctionem, non majorem, quam si à diversissimis forent baptizati, At verò filij adoptivi ejusdem

adoptantis simul solent habitare, & succedere ab intestato, aut per testamentum; ergo major videtur esse conjunctio inter filios adoptivos, quam filios spirituales. Cumque, secundum D. Tho. sola cohabitatio videatur esse ratio hujus impedimenti, quidni etiam reperitur hoc impedimentum inter filios adoptivos ejusdem adoptantis, inter quos etiam invenitur cohabitatio?

Hoc argumentum non tangit Sanchez: ego autem respondeo, rationem legis non sufficere, nisi adit voluntas Legislatoris expressè vel tacitè. Censetur autem tacitè seu interpretativè adesse, quando alioquin lex foret irrationabilis, id est, quando Legislator irrationabiliter ageret hoc præcipiendo, & non aliud, in quo militat eadem profus aut similis ratio. Iam autem in nostro casu, quàmvis Legislator propter cohabitationem, & periculum fornicationis ex ea consequens, potuisset justè impedire Matrimonium inter filios adoptivos ejusdem adoptantis, sicuti inter filium adoptivum & naturalem; tamen etiam justè potuit non impedire, ad vitandam scilicet nimiam multiplicationem impedimentorum; & quia major debetur reverentia (quæ etià secundum nos est causa impedimenti) filio naturali, tamquam magis conjuncto patri adoptivo, quàm filio adoptivo tantum.

432. *Resp. Au. dicitur ad arg.*

Transit itaque cognatio legalis tum in uxores adoptantis & adoptati, tum etiam in filios eorum, sed illos tantum, qui subsunt patriæ potestati; atque adeo adoptatus possit contrahere cum illegitimis adoptantis, aut cum legitimis emancipatis; & consimiliter adoptans possit contrahere cum illegitimis adoptati, aut cum legitimis emancipatis, vel qui ex alia causa non subsunt patriæ potestati, ac proinde cum filia filia adoptivæ; quandoquidem fœmina non habeat filios in sua potestate; & per consequens, si fœmina ex indulto Principis quempiam adoptaret in filium vel filiam, adoptatus vel adoptata posset contrahere cum filio vel filia adoptantis.

433. *Resolutio p. nalis.*

Hinc Instit. de Nupt. §. 4. ita scriptum est : Ejus mulieris, quam pater tuus adoptavit filiam, non videris impediri uxorem ducere; quia neque naturali, neque civili jure tibi conjungitur.

Sed nunquid conjungitur pater aut mater? Id est, nunquid transit cognatio legalis in parentes adoptati, quemadmodum transit in filios, qui subsunt patriæ potestati? Responso negativa est communis. At quæ ratio disparitatis? cum se habeant in eadem proximitate; & cognatio spiritalis transeat à filio baptizato in patrem, ut pater ex supradictis de hac cognatione.

434. *Cognatio legalis non transit in parentes adoptati.*

Doct. Seraphicus sup. sic ait : Ad illud quod queritur, quare cognatio legalis non transit in patrem? dicendum, quod cognatio spiritalis transit in patrem, quoniam eundem regenerat, quem pater generavit : ita quod cognatio spiritalis respicit bonum interius, & ideo communicatur in uno; & ideo contrahitur cognatio compaternitatis; sed adoptans adoptatum assumit ad aliquod extra, ideo non sic communicatur.

*Probatur ex D. Bonav.*

Et ibidem: Ad illud; inquit, quod queritur, quare non transit in ascendendo. Dicendum, quod humor venit à radice ad ramos, non è converso. & quoniam filij rami sunt patris, ideo cognatio legalis à patre



communicatur filiis, non sic oportet, nec debent communicare parentibus.

435.  
Conuult  
Doct. An-  
gel.

Simili modo respondet ad hanc difficultatem Doct. Angelicus supra: Ad primum ergo dicendum, quod per generationem spirituales non trahitur filius extra potestatem patris, sicut fit per adoptionem, & sic filius spiritualis manet filius utriusque simul, non autem filius adoptivus: & ideo non contrahitur aliqua propinquitas inter patrem adoptantem & matrem vel

patrem naturalem, sicut erat in cognatione spirituali.

Ut sit de hiserationibus disparitatis, habemus clarum textum, extendentem cognationem spirituales ad parentes baptizati; nullus autem textus vel obscure saltem extendit cognationem legalem ad parentes adoptati: ergo nec nos extendamus. Et quia hic aliud non occurrit scitu necessarium Theologis, lubens procedo ad impedimentum affinitatis, pro quo instituitur

# SECTIO VI.

DE

## IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

1.  
De quibus  
hic sit dis-  
putandum.



D cognationem jam considera- tam proximè accedit affinitas, ideo congruenter hanc Sectione de ea tractabimus. Et primò quidem disputabimus, quid sit affinitas, ac qualiter contrahatur. Secundo, an sit impedimentum dirimens Matrimonium post contractum. Denique, inter quas personas dirimat. De primo ponitur.

### CONCLUSIO I.

Affinitas est propinquitus quædam, proveniens ex omni & sola copula carnali, apta ad generationem.

2.  
Qui sint  
affines, &  
unde dicti,  
ex l. 4. ff.  
de Grad.

Incipio cum verbis Modestini lib. 12. Pandectarum, & habentur l. 4. ff. de Gradibus & Adfin. §. 3. & seqq. Adfines sunt viri & uxoris cognati, dicti ab eo, quod dua cognationes, que diversa inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis sinem accedit. Namque coniungenda adfinitatis causa fit ex nuptijs. Nomina vero eorum hac sunt, socer, socrus, gener, nurus, noverca, vitricus, privignus, privigna. Gradus autem adfinitati nulli sunt.

Nomina eorum ex ead. l.

Et quidem viri pater uxoris, socer; mater autem eorum, socrus appellatur. filij autem uxoris, nurus; filia vero viri, gener appellatur. Vxor liberis ex alia uxore natis, noverca dicitur: matris vir ex alio viro natis, vitricus appellatur. Eorum uterque natos aliunde privignos, privignasque vocant. Potest etiã sic desiniri socer, uxoris mea pater, ego illius sum gener. Socer magnus dicitur uxoris mea avus, ego illius sum progener. Et retro pater meus uxoris mea socer est: hac illi nurus. Et avus meus, socer magnus est, illa illi pronurus. Item pro socrus mihi uxoris mea avia est, ego illius sum progener. Et retro mater mea, uxoris mea socrus est, illa huic nurus; & avia mea socrus magna est, & uxor mea illi pronurus est. Privignus est uxoris mea filius ex alio viro natus, ego illorum vitricus: & in contrarium uxor mea, liberis, quos ex alia uxore habeo, noverca dicitur: liberis mei illi privigni. Viri frater levir; Viri soror, glas dicitur. Duorum fratrum uxores jantrices dicuntur.

Haftenus Iurifconsultus.

A quo non dissentiant Theologi, qui communiter definiunt affinitatem hanc formâ verborum: Est propinquitus personarum, ex carnali copula proveniens, omni carens parentelâ. Dicitur Propinquitus (inquit Sanchez sup. disp. 64. n. 1.) quia in hoc convenit cum cognatione carnali. Ex carnali copula proveniens, in quo ab illa distinguitur. Et dicitur generaliter: Ex copula; quia oritur ex copula licita vel illicita. Omni carens parentelâ; intelligitur per se, & ex parte affinitatis, cui per accidens est, ut aliquando affinitas & consanguinitas in eodem reperiantur. Ita dictus Auctor cum Doct. Angelico & Seraphico 4. dist. 41. ubi tractant de hoc impedimento.

3.  
Quid sit  
affinitas, &  
explicatio  
definitionis,  
ex Sanchez  
cum DD.  
Angel. &  
Seraphico;

Et consonat Doct. Subtilis eadem distinctione q. un. dicens: Hic breviter ratio affinitatis potest poni talis. Affinitas est vinculum quoddam personarum ad personam aliquam ex carnali copula cum persona alteri consanguinea contractum. Semper enim, quia persona carnaliter copulata est consanguinea alicui, ideo illa, cui copulatur, fit affinis illius, & a converso, & est quasi expositio nominis. Affinis id est, accessio ad affines; cõiunctus enim carnaliter alicui, de consanguinitate aliqua, accedit per hoc ad affines illius consanguinitatis; & ideo habet vinculum talis accessus ad omnes de illa consanguinitate. In isto vinculo possunt assignari gradus & linea; sicut prius in consanguinitate, & pro his omnibus est una brevis regula.

Consonat  
Doct. Sub-  
tilis.

Quoto gradu consanguinitatis aliquis distat ab alio, toto gradu affinitatis distat ab eodem illa, quæ est ab isto carnaliter cognita. Non dico, uxor, quia hoc non requiritur; non solum enim cum uxore, sed cum concubina vel meretrice contrahitur affinitas consanguineorum ipsius viri, imo in incestu.

4.  
Non requi-  
ritur copula  
cum uxore.

Non sufficit ad affinitatem propriè dictam, quod sit uxor, sed requiritur carnalis conjunctio, ut habetur 35. quæst. ultim. Fraternalitatis, ubi dicitur de conjugibus, quod si una caro, non potest esse, quod aliquis sit propinquus uni eorum, quin pertineat alteri. In quo datur intelligi, affinitatem non contrahi, nisi mediante commixtione carnis. Extendendo tamen affinitatem, dicitur contrahi non solum cum uxore carnaliter cognita, sed etiam cum non cognita; & quod plus est, cum illa, cum qua præcisè contrahuntur sponsalia. Hucusque Scotus.

3.  
Non sufficit,  
quod aliqua  
sit uxor, ad  
affinitatem  
proprie dictam.